





8078.

EXERCITIUM HISTORICUM

De

IMPERATORE

S.

*Duce exercitus Romani Summo
quod domi elucubraturum*

Sub

PRÆSIDIO

VIRI

PRÆCLARISSIMI EXCELLENTISSIMI

DN. ÆGIDII STRAUCHII,

S.S. Theolog. Licent. & Subst. Histor. Prof. Publ.

Celeb. in Illustri ad Albim Academiâ
publice examinandum

sistit

JOHANNES BECKER,

HAMBURG.

Ad diem Aug. In Auditorio Maj.

VVITTEBERGAE,

Literis JOHANNIS HAKEN, 1659.

16. 2
7-

1659

19

87



V I R O
Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo,
DN. JOACHIMO à BEKENDORFF, Inclytæ
Hamburgensium Reipub. Patritio
gravissimo.

DN. Cognato ac Mecanati suo per omnem ætatem
colendisimo.

NEC NON

V I R I S
Humanissimis Spectatissimisq;
DN. MATTHIÆ Røding / Civi inclyti Emporii
Hamburgensis primario, & Negotiatori
florētissimo.
DN. Evergetæ ac Cognato suo perpetim
colendo.

DN. PETRO Behn/
DN. HEINRICO Beckern / Civibus Ibidem
conspicuis, illi Affini, huic Parenti, æternum
venerandis.

*Hæc Musarum Academicarum primitias in debiti ho-
noris & observantiæ symbolum submissè
offert ac dedicat*

JOHANNES BECKER,
AUT. & RESP.

PROOEMIUM.

Quod de Cajo Julio Cæsare scribit *Elias Sebedius* in tractatu postumo de *DIIS GERMANIS* c. 1. quod fuerit homo gloriosus sibi multa ex aliorum gloriâ falso vindicans, (quod iudicium ante ipsum de Cæsare tulit Maximilianus Imp. roganti enim Romano Flamini num Cæsaris commentaria legisset *Et Cæsarem de rebus suis inflatus scripsisse, ut qui se victorem cum victus sit faciat Aventinus* l. 2. ann. Boj.) Idem si non de omnibus plerisque tamen Romanæ rei Scriptoribus dici posse existimat *Albericus Gentilis* in tract. de armis Romanis l. 1. c. 1. Rerum Romanarum veritatem esse vitiatam: quod gloriæ suæ sint supra verecundiam prædicatores, quod hostibus virtutem atq; laudem omnem detrahant, aliarum nationum egregia despiciant; & vel partis alterutrius, vel patriæ studio plerumque ducantur. Vere hæc quidem *Gentilis*, cum luculentissimâ id demonstratione ostendere ad oculum possim, si esset huius loci, Non tamen adduci possum ut *Gentilis* assentiar, Romanis omnem de virtute suâ gloriandi materiam hoc nomine eripienti. Sanè multa egerunt Romani fortiter, quod tot devictæ gentes loquuntur. Nam orbem jam totum victor Romanus habebat, scripsit tempore suo Arbiter. Unde hoc imperium? nisi ex virtute militari. Reputa, *Gentili*! principia parva, Urbis, & quæ causa quære hanc caulam ad tantam pervexit summam? nonne virtus bellica? quæ ratio bellicosissimas nationes ejus ditioni subjecit? virtus bellica. Animosi fuerunt Galli, pugnaces Hispani, & omnium robustissima natio Germana, semper tamen Romani superiores, quid fecit? Virtus bellica, & peritia militaris rei. Graviter *Vegetius* l. 1. c. 1. Quid adversus Gallorum multitudinem paucitas Romana valuisse? Quid adversus Germanorum proceritatem brevitatis potuisset audere? Hispanos quidem non tantum numero, sed etiam viribus corporum nostris præfuisse, manifestum est. Afrorum dolis atq; divitiis semper impares fuimus. Græcorum artibus prudentiæque nos vincere nemo unquam dubitavit. Sed adversus omnia profuit tyrannem solentem eligere, jus (ut ita dixerim) armorum docere, quotidiano exercitio roborare, quæcumq; evenire in acie atque in præliis possint, omnia in campis meditatione prænoscere, severe in desides vindicare. Nullum hic ex justitia causæ subsidium, quoniam sapius injuncta feliciter ceciderunt, quod contra *Livium* dicendum. Pauca sibi quoque fortuna hic vindicare potest, & fors tribuere prospera. Accusatur merito à *Machiavello* *Plutarchus*, fortunæ indulgentiâ crevisse rem Romanam

afferens, non virtutis usu l. 2. *disp. in Livium c. 1.* Onofander est Græcus quidam Autor qui elegantissimum omnino tractatum scripsit, quem fecit. *ΣΠΑΘΗΤΙΚΟΝ sive Imperatoris institutionem*, quem Nicol. Rigaltius latinum reddidit, Johannis verò à Chokier Patritius Leodiensis doctissimis notis illustravit: Hic Onofander in præfatione sui tractatus ubi instituti rationem reddit, ita notanter: *Iter anda Romanorum virtus sæpius animis occurret, quos neq. Rex, neq. Civitas, neq. Gens ulla Imperii amplitudine superavit; imo nec tantam attingere unquã potuit, nec tot seculorũ et at es mansuram firmare potentiam. Non enim illi casu fortuito, sed virtute bellicã, fortissimiq. Ducibus Italia fines evadunt, & ad orbis terminos latè juris dictionibus ditionem suam propagant. Casus scilicet sive fortuna subsidiarii auxiliariiq. & commilitonis vicem præstat, non tamen Imperatoris, nec sunt penes ejus arbitrium omnia.* Sic potentiam & dignitatem Romanam virtus militaris peperit atq; sustentavit. Sic virtutem militarem in Ducis peritiam, Imperatoris prudentiam, tandem resolvunt scriptores Romani. Quod *Στρατηγικὰ* pertractat Machiavellus *disp. in Livium l. 2. c. 1.* Item antea Laudatus Johannes à Chokier in notis ad c. 1. Onofandri *Strategici*. Intelligunt Romani Autores quantum roboris addat prudentia Ducis exercitui, tantum scilicet, ut Gabrias Atheniensium Imperator magis metuerit exercitum cervorũ cui Leo præest, quam Exercitũ Leonũ cui Cervus. Et quis tam peregrinus iam Romana est historia, ut non rem Romanam crevisse atq; decrevisse animadvertat, prout commissã eadem aut prudenti bellicosissimoq; fuit Imperatori, aut inerti vel stolido. Exhibiturus ergo specimen ex militiã Romanã operã prægium duxi, si illud eligerem cujus subsidio fortuna Romana potissimũ profecit. Sed quid hoc aliud nisi Ducis virtus, consilia, & prudentia rei militaris, (quæ à Vegetio ars artium dicitur.) *Hujus n. virtuti atq; fidei possessorum fortuna, tutela urbium salus militum, Reipublice gloria contredabatur Veget. l. 3. de re milit.* Non vero hoc agã ut Imperatorem certis instruam præceptis, quod Politicorũ est, (nisi forte leges & præcepta hic minus valeant quam experimenta Quintilianus l. 2. *Instit. c. 5.*) & post Vegetium hoc munere felicissimè Onofander defunctus est, verum ex historiã Romanã Imperatoris creationem conditionem & præcipua munia exhibebo.

Tu verò, nunc adesto mihi *DEUS*

MEUS.

FELI.



FELICITER!

CAPUT I.

De

Imperatoris Appellatione.

Imperatorem ita Athenæus nobis ex Dionysio
in Thesimophoro, de scribit. lib. 9. Deiphnosoph. p. m. 302.

*Imperatorem utiq; vocamus, qui regendos exercitus
Accepit; qui prudenter in administrandis rebus potest
Versari, & quid ex usu est perspicere:
Imperator is verus est: alius autem qui ducit copias.*

Ut E, quo felicius res procedat, ab ovo (quod dici solet) ordiamur. Imperatorem ab Imperio dictum esse constat, neque hic quidquam monendum, nisi quod de vocabulo Imperii annotavit Sigonius l. r. de antiquo Jure Civium Rom. c. 21. disputans contra Nicolaum Gruchium. (Imperium militare, cum imperio Consulari, Prætorio, Dictatorioque confundentem) *Imperium esse duplex, alterum Civile, alterum militare. Differentiam utriusque ostendit. Civile in urbe, militare extra urbem habebatur. Et qui civile tantum habebat Imperium, nullo alio honoris titulo, nisi qui Magistratus nomine continetur, ornatus est, item vel Consul, vel Prætor, vel Dictator vocabatur. Militare qui adeptus erat, præter ea etiam Imperator. i. e. Dux belli auspiciis suis administrandi. Civile denique cum Magistratu ipso mandatur. (Est n. jus ipsum Magistratus) Militare alia ratione quam ipse Magistratus deferretur. In qua E. significatione vocabulum Imperii hoc loco accipi debeat, patet manifeste, & ex eodem Sigonio subjicimus. Imperium jam non majorem & coercendi potestatem, sed exercitum habendi & belli gerendi facultatem appello. Quomodo intellexit in Antonium Cicero cum*

dixit: Demus Imperium Cesari, sine quo res militaris administrari, exercitus teneri, bellum geri non potest. Ita Sigonius. Quibus verbis adde ex Rosino l. 6. Antiquit. Roman. c. 3. Imperium Civile plerumque potestatem dici non imperium. Conferatur quoque Arnoldus Clapmarius de arcanis Rerumpubl l. 5. c. 10. Imperator igitur est propriè qui habet imperium militare. Impropria verò plane acceptio quando Plinius Medicis quoq; Imperium tribuit l. 29. cap. 1. ubi Medicos vocat Vitæ nostræ, necisq; Imperatores, quem secutus Salvianus Medicum infirmo imperare dixit lib. 5. de gubernat. Dei verba illa citata Plinii explicat Rittershusius in notis ad locum cit. Salviani, ex verbis Origenis lib. 4. Contra Celsum. Miror tamen & vehementer miror ægrotos quoq; Medicorum dici Imperatores. Sic enim Seneca lib. 6. de Benefic. cap. 16. de Medico suo. Medico, si nihil amplius quam manum tangit, & me inter eos, quos per ambulat, ponit, sine ullo affectu faciendæ vitandæ præcipiens, nihil amplius deo: quia me non tanquam amicum vidit, sed tanquam imperatorem (hanc enim veram esse lectionem, non Invocantorem, ut vulgati libri legunt, probat Rittershusius l. cit. ex XV. MSC. quæ Pincianus contulit, quam lectionem Pincianus quoque approbat.) Juvat ad hæc verba Senecæ adscribere, quæ Jacobus Dalechampius Medicus ad Plin. l. 29. c. 1. notavit. Medico sane magis Imperium convenit, merces tamen, cujus gratia circum-ambulat, dum ægrotos invisit, aut oramentū quoddam servitutis est quin etiam blandiri & assentari ægris, magnasq; non raro molestias devovire, ut ipsi morigeretur, velut quadam vis ac necessitas est, non secus ac si Regis Tyrannivæ subesset Imperio: Quis non videt longe petitam hanc esse metaphoram? Nihilominus apud JCTOS Alfenus (s. ut alii Alphenus) eadem loquitur linguâ vid. Duarenus l. 1. Disp. c. 54. Nec tamen eadem inter Milites ratio vocis Imperatoris, alia enim erat conditio in Republicâ adhuc liberâ, alia cum Monarchia esset introducta. Stante Republicâ quilibet dicebatur Imperator, qui imperium belli suis auspiciis gerendum accepisset, & Prætor olim vocatus perhibetur, quæ acceptio cum potissimum ad nostrum institutum faciat, uberius deinceps erit exponenda. Postea verò tituli Imperatoris crevit autoritas maximè,

ut in-

ut inter victoris præmia putaretur. Nemo enim, nisi decem millia occidisset, *Appianus Alexandrinus*, aut quod postmodum concessum; quoque duo millia, vel mille hominum, à militibus, (decernente quoque Senatu) Imperator salutabatur. Sic enim *Cic. Philippicâ 14. At si quis Hispanorum, aut Gallorum, aut Thracum mille aut duo millia occidisset, non cum hac consuetudine, qua increbuit, Imperatorem appellaret Senatus & tot legionibus castis, tantâ multitudine hostium, interfectâ Imperatorium nomen adimemus.* Tanti ergo cum redimendus esset hic titulus, vitio fuit datum *M. Crasso*, quod captâ tantum *Zenodoriâ*, à Milite Imperator salutari sustinisset, abjectusque est habitus, nec majora sperare, successu qui tam se efferret tenui. *Plutarchus in ejus vitâ.* Hoc imperatoris nomen *reste Tacito* semel atq; vicies peperit sibi *Julius ille Cæsar*. quanquam *Cassanbonus ad Sveron. l. i.* citet inscriptionem lapidis veteris quæ vicies tantum Imperatorem fuisse dicit. Usurparunt etiam hunc titulum in subscriptionibus Epistolarum vel Chirographorum restatur *Alexander ab Alexandro lib. 1. Gen. dierum c. 2.* ex Cæsare sine dubio *qui in lib. 3. belli civilis de Pompejo* inquit *Eo prælio Imperator est appellatus.* Atque ita se postea salutari passus est, sed neque in literis quas scribere est solitus, neq; in fascibus insignia laurea prætulit. De quo *Pompejo* ad scribendum, quod *Plutarchus* tradit in ejus vitâ (cum materiam illustrare nostram videantur) *Syllam cum Pompejus vocasset Imperatorem, resalutatus est à Syllâ eodem titulo, præter omnium addit Plutarchus expectationem, quod Juveni, & nondum in Senatum allecto participaret hoc nomen Sylla.* Præterire quoque non possum; Ex lanienis civilibus redeunti, licet felicissimè rem gessisset, nemini Imperatoris nomen est tributum, nec supplicationes sunt de creatæ nec triumphare integrum erat, vel curru, vel ovans. vid. *Valer. Max. l. 2. c. 8. Cic. Philippicâ 14. §. 22.* ita lugubres semper æstimatæ sunt victoriæ, utpote non externo, sed domestico partæ cruore. Dixi autem supra, Imperatores fuisse salutatos exercitus Duces à militibus; Sed confirmabatur hæc dignitas à Senatu: discimus ex *Zonarâ lib. 2. Re bene gestâ justâque victoriâ partâ, Dux st acum à militibus Imperator appellabatur, & laureatas per tabellarios victo-*

ria nuncios in urbem mittebat, ipse verò domum reversus, Senatu habito, triumphum postulabat, quem si à Senatu aut populo obtinisset, nomen Imperatoris confirmabat. Idem fermè docet Cicero quoque loc. citato supra ex 14. *Philippicâ*. Et extant leges latae ad plebem à Senatu apud Livium, quibus triumphantibus concedebatur Imperium: *Tribuni Plebis ex autoritate Senatus tulerunt ad plebem, ut M. Marcello, quo die ovans iniret urbem, imperium esset, & plura hujus farinae vid. ap. Sigonium lib. 2. de antiquo jure provinciarum c. 10. Valerius Maximus quoq; lib. 2. c. 8. allegat morem Romanis usitatum, ut ab Imperatore triumphum ducturo COSS. invitarentur ad coenam, deinde vero rogarentur, venire superederent, ne quis eo die, quo ille triumpharet, majoris in eodem convivio sit imperii. Cujus petiti rationem petit Sigonius contra Gruchium ex Plutarchi problemat. quia triumphanti in cenâ primus locus debebatur, quam presentibus consulibus concedere jus non erit: addo ego hisce ex eodem; quia neminem nisi Consulem, (praesente sc. hoc) licebat magnificentissimè tractare, & domum deducere peractâ cenâ, qui honor tamen triumphantibus exhibebatur. Non nisi semel autem de uno bello aliquem Imperatorem appellari licuit, quamquam Claudius, præter morem, victis Britannicis sæpius Imperator salutatus sit ex Dione constat. Vid. *Bulling. de Imperatore Rom. l. 1. c. 1.* Non tamen tributum hoc nomen (si Sigonio habenda est fides) tantum Imperatoribus, sed etiam Legatis, & Questoribus, si ipsis ab Imperatore absente imperium esset commissum, & benè cum magnâ clade hostium administratum. *Sigonius lib. 2. de antiquo jure Provinc. c. 7.* Hæc in transcurso quasi & superficiali de significatione vocis Imperatoris, prout is titulus victoribus tantum apponebatur, stante Reipublicæ libertate. Occupata verò eadem, non erat imperium amplius quatuor aut quinque horarū, quemadmodū primis temporibus, cum peracto convivio triumphans scema deponeret Imperatūs, sed in perpetuum vindicabant sibi Monarchæ. *Regium enim nomen alibi magnū, Rome intolerabile erat, (vox est Scipionis apud Livium)* ideo Imperatoris tanquam mitius quoddam substitutum fuit. Quod in Julio Casare cepit. Ita enim Suetonius. *Non honores modo nimis**

recepit, ut continuum consulatum, perpetuam dicituram praefectu-
ramq; morum. Insuper praenomen Imperatoris, cognomen Patris Pa-
triae &c. l. 1. c. 76. Quod postmodum in reliquis usque continua-
tum, cum Augusto idem jus Senatus consulto contingeret ad
decem annos, & iis peractis, auctoritate prorogaretur, quod &
postea Tiberio per testamentum in familiam Juliam recepto, do-
nec militibus fieret eligendi potestas Imperatorem. Addamus
hic quaedam ex *Dione Cassio lib. 52.* de Augusto, quae differentiâ
nominis explicant. Ita autem ille. *Ἰν τῷ ἀνωτάτω ἔτι καὶ
αὐτὸν ἐπέθετο.* &c. sumpsit, inquit, nomen Imperatoris. Dico autem
non id nomen quod olim ob victorias datum, quod ipse saepe & prius, &
postea ex rebus gestis accepit, ut in viginti victoriis id nomen adeptus
sit, sed aliud quod summum imperium significat. Clarius adhuc
lib. 43. *Τὸ τε τῷ ἀνωτάτω ἔτι οὐκ ἔδωκε.* &c. & nomen Imperatoris, non
modo ut olim & alii, & Julius ipse plerumq; victis hostibus saluatus
est, neq; ut qui absolutum Imperium aliquod & plenâ potestatem con-
sequeuti nominabantur; sed semel illi primo omnium Imperatoris no-
men, quod hodieq; & aliis datur qui summum imperium habent, qua-
si proprium addiderunt. Vide sis de dignitate hac Imperatoriâ
Sigonium in Commentar. ad fast. triumph. Romanos ad Annum 727.
p. m. 635. Ex *Plinii vero Panegyrico* ut & *Dionis lib. 57.* probat Cele-
berrimus *BUCHNERUS*: Qui praerat Romanae rei, imperioq; fun-
gebantur, respectu militum Imperatores, respectu vero Civium
Principes dicebantur. Quomodo *Tacitus* etiam dixit *lib. 1. An-
nal. c. 1.* *Cuncta discordiis Civilibus fessa, nomine Principis sub imperi-
um accepit.* Disputatur dehinc inter Eruditos; an tempore Princi-
pum nomen Imperatoris cuique privato post *Junium Blaesium* sit
tributum? negat *Lipsius ad lib. 3. Annal. Taciti* itemque *ad lib. 1.* Af-
firmant alii. Et res salva est, non enim quaeritur de acceptione
vocis Imperatoris prima, hæc enim nulli privato poterat compe-
tere quamvis summo exercitus Duci, omnia enim auspiciis Impe-
ratorum Romanorum gerebantur. Vide *Casaubonum ad Suetonii
Julium.* Neque de ultimâ seu tertiâ, sed de secunda, quat. casis
hostibus Imperatoris nomen Ducibus tanquam præmium indul-
gebatur. Non tamen sine difficultate summâ obtinebant Duces,

B

testa

testatur enim *Appianus Alexandr. l. 2. de Bellis Civilibus*. Privato Duci nulli esse concessū hoc nōmē temporibus Adriani, nisi cæsis hostium decem millibus. Sic E. Imperator est hoc loco, non qui ducit exercitum, nec quatenus tantum triumphum agit, sed qui prae est copiis militaribus suis auspiciis re agens, & vel Classiariis in aequore, vel Justis militibus in campis imperat: uterq; Imperator salutatur. Licet enim alias nautica olim militia esset parum honesta, si *Svetonio* credimus dicenti. *Neronem fecisse ex Classiariis justos milites*, nihilominus qui classibus praeerat Imperator vocabatur, modo propriis auspiciis rem gessisset. *Appianus Alexander lib. de Bellis Misbridaticis p. m. 158.* Praetorem autem hunc Imperatorem nostrū olim dictum fuisse, & supra diximus, & ex *Festo* probare licet in voce *Praetor*. fundamentū hujus appellationis ex *Africanio Padiano actione 3. in Verrem* peti potest. *Praetor*, inquit, appellabatur Consul, & interdum omnis Magistratus cui exercitus parebat. *Conf. Nonium ex auctoritate Varronis de vii a populi Rom. lib. 2. Godelevium quod, in notis ad Livium non uno in loco.*

CAPUT II.

DE

'Auspiciis bellicis & quid sit suis auspiciis bellum gerere.

Explicandum autem nunc porro erit, quid sit auspiciis propriis rem gerere. Intricatio cum hac sit materia, immorandū eidem paulisper, & periculum faciendum est virium, an explicari possit. Variē alias vocabulum auspicii à variis usurpatur Autoribus. *Virgilius* enim & pro voluntatis arbitrio posuit *lib. 4. Aeneid. vers 349.*

*Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis*

& pro potestate vel Imperio, *lib. 7. v. 256. Aeneidos*, Paribus auspiciis dixit pro pari potestate. vide *Servium ad utrumq; locum*. Quae significatio aliis quoque Autoribus oppido familiaris, praesertim cum de rebus militaribus sermonem faciunt, ut auspicia pro sum-

summâ potestate vel Imperio summo usurpent; Et suis auspiciis rem gerere idem ipsis sit, atq; bellum suâ administrare prudentiâ consiliisque, suâ perficere fortunâ. Discimus ex Livio *Dec. lib. 6. cap. 23.* ubi Camillus, *Quæ bella, inquit, suo unius auspicio gesta ad eam diem essent, negare in eis neq; se, neq; populum Romanum aut consilii sui, aut fortunæ pernicuisse.* Quamquam apud nonnullos auspicia & consilia tanquam disparata conjungantur. Tacitus *l. 13. Annal. c. 6.* Bœclerus in libello egregio de auspicio Regio, *c. 1. §. 9.* ait: *Vocem auspicii in illis locutionibus, cum auspicio alicujus aliquid gestum dicitur, præter communem auspicii capiendi respectû, atq; ceremoniam, (quæ nec semper in talibus attenditur) apud accuratioris styli Autores significare θεῶν τῶν ἀρχιτεκτονικῶν ἐπιτοχῶν. Sanctiorem quandam, & moderatricem vim & virtutem: i. e. rerum gerendarum eminentem quandam ac justam auctoritatem, quam dat muneris officiiq; potestas, & penetrabilem agendi efficaciam seu fortunam, quæ gerentes publica divinitus comitatur.* Quod deinde eruditissime (ut commendabat *Amplissimus BUCHNERUS*) persequitur per totum libellum: notatque quando gesta dicuntur Ducum auspicii in libera Republicâ, excellenti quodam significato, & si accuratè loquendum sit, auspicii populi Romani sive Republicæ Romanæ tribuenda sunt. Et rectè ita Bœclerus cujus sententiæ quod faveamus, addimus propriam confessionem Imperatorum. Sic enim apud Herodianum Maximus in allocutione ad milites *ὃ γὰρ ἐνὸς ἀνδρὸς ἰδίον κῆρυμα ἢ ἀρχὴ ἀλλὰ κοινὸν τῷ Ῥωμαίων δήμῳ ἀνοθεν, καὶ ἐν ἐκείνῃ τῇ πόλει τῆς βασιλείας ἰδρυται τύχη &c.* Non enim unius viri possessio est Imperium hoc, sed antiquitùs res est populi Romani: in hac urbe principatus fortuna sita est, nos verò vobiscum, milites, in id electi sumus, ut ea quæ imperiū sunt curemus, ac tueamur. Cui etiam congruit quod Appianus Alexander l. 5. de Bellis Civilib9, militasse milites, ait, auspicii S. P. Q. R. Conferatur de divinâ hâc principium auctoritate, *Autor quoq; præfationis, quisquis sit, præmisso tractatui ingeniosissimo Ducis de Roban, qui dicitur Trutina Seatuum Europæ.* Nos, quo res fiat clarior, cum hoc vocabulum ex Augurum scholis ad Politiam sit translatum, fundamentum ipsum inquiramus, altius reperenda

de sunt vocis natales. Nihil veteres inauspicato occupabant, nec quicquam nisi momentibus auspiciis aggrediebantur. Rationem reddit *Mantius apud Livium: quod nullius calumnia subjiceretur ea, qua Dii comprobassent.* Quibus auspiciis Augures quidem praeferant, verum & Magistratus erat cura haec. Imo major horum in augurando potestas; videatur modo *Gellius lib. 13. c. 15.* magis enim cum essent rata Magistratum auspicia, majora quoque dicebantur merito. Hinc apud Livium aliosque saepe legitur, (*inquit Lipsius de militia Romana lib. 2. dial. 12.*) *Consules Auspicio operam dedisse. Vide Clarissimi BUCHNERI annotata ad Fabrum, voce Auspicium.* Regale ergo erat habere auspicia praesertim majora, quae non nisi Consulibus, Praetoribus & Censoribus erant propria. Neque tamen eorum omnium inter se eadem, aut ejusdem erant potestatis. Major Consulum, minor Praetorum Censorumque, quod latissime persequitur *Sigonius p. m. 312.* ad quem lectorem remittimus. Quo major ergo potestas, eo majora auspicia, eo magis etiam rata. Quod ex iis patebit quae mox ex *Valerio Maximo* erunt citanda. Repetenda nunc sunt quae superius dixi. Omnia Veteres auspicato egisse: quod in bello potissimum obtinuisse testatur *Cicero lib. 1. de divinatio: Rem bellicam Majores nostri administrari nisi auspicato noluerunt.* Imperator enim constitutus auspicia mox faciebat, quae domo erant ferenda. Qua de re *Livius Decad. 3. l. 2. c. 1.* Ubi *Cneus Servilius de C. Flaminio. Quod enim illi justum Imperium, quod auspicium esset Magistratus: id a domo, publicis privatisque penetibus, Latinis feriis actis, sacrificio in monte perfecto, votis rite in Capitolio nuncupatis secum ferre: nec privatim auspicia sequi: nec sine auspiciis profectum in externo ea solo nova atque integra concipere posse.* Quibus lucem addunt quae *Tacitus* scribit *lib. 3. Annal. c. 59.* ex argumento literarum *Drusi. Hac recidisse cuncta (conqueritur Drusus) ut ne Juvencus quidem, tanto bono: acceperit, adiret urbis Deos, ingrederetur Senatam, auspicia saltem apud gentile solum inciperet.* Egredi vero & congressi, si male pugnassent, revertebantur ad captanda rursus auspicia. Sic *Livius Decad. 1. lib. 8. p. m. 339.* ait, *Papyrium Cursorem a Pullario esse munitum, ut ad auspicium repetendum Romam reverteretur.* Int: ea
dicitur

dum illo abesset, Magister ejus Equum incertis pugnavit auspiciis
sed felici quanto eventu maxime tamen est vitio datum. Verum hoc
observatum tantum est à Ducibus Romanis, donec ab his in Ita-
liâ pugnatum est propter vicinitatem; postquam verò minist-
rium longius est prolatum, ne Dux ab exercitu diu abesset, si Ro-
mam ad renovanda auspicia de longinquo revertisset, constitu-
tum est, ut unus locus de captivo agro romanus fieret in eâ pro-
vincia, in quâ bellabatur, ad quem, si renovari opus esset auspicia,
Dux rediret, uti legere est apud Servium in l. 2. *Æneid.* v. 178. Quo
autem propius accedamus ad scopum, sciendum quod diversi di-
versa sepius in castris haberent auspicia. Cum & Consul nonnun-
quam & Prætor; Imperator, atq; Legatus captarent unâ; ubi ea
credebantur maxime rata quæ erant majora. Consulibus, aut Impe-
ratoris cujusvis alius. Discimus hoc ex *Valerii Maximi*, lib. 2. c. 8.
Contentio namque oriebatur quondam Romæ inter Cajum Lu-
tatiū Consulē & Q. Valerium Prætozem, qui ambo præfuerāt
clasibus Romanis, uter deletâ insigni Pœnosum circa Siciliam
classe esset triumphii honore decorandus. Convenit inter illos
Judex A. Iulius Calatinus, apud quem Valerius Prætor hunc in mo-
dum egit: Consulē eâ pugna in lecticâ claudum jacuisse, se au-
tem omnibus Imperatoris partibus functum. Calatinus autem
judex facili litē curâ diremit. Quæro, inquit, Valeri à te: si di-
micandum nec ne esset contrariis inter vos sententiis discedissetis;
utrum quod Consul, an quod Prætor imperasset, majus habiturū
fuerit momentum? respondit Valerius; non facere se contro-
versiam quin priores partes Consulibus essent futura. Age! deinde
inquit Calatinus, si diversa auspicia accepissetis, cujus magis au-
spicio staretur? Item respondit Valerius, Consulibus. At judex,
jam, inquit, cum de imperio & auspicio inter vos disceptationem
susceperim, & tu utroque adversarium tuum superiorem fuisse fa-
tearis, nihil est ulterius quod dubitem. Itaque Lutati secundum
te litē do. Hoc factum nos satis instruit, unde hæc apud Auto-
res Imperatoris descriptio, Imperator est qui in bellis suo auspicio
rem gerit. Quoniam autem semel de auspiciis factus est sermo,
solemnitas quoq; auspiciorū in hoc capite erit subjungenda.

Cum Imperatoris quoque esset, belli captare auspicia, & ante pralium Deorum convenire voluntatem. Variis de rebus captabant Romani auspicia, certissima tamen erant ea quæ celo terræve portendebantur, fluminum autem, ut instabilis est natura, ita infirma fides, simul enim atq; ostendunt rapiunt quoq; vid. Tacitum l. 6. annal. c. 37. unde fulmen sinistrum auspiciū optimum erat ad omnes res, præterquam ad comitia Cie. l. 2. de divinac. §. 43. 47. Varia augurii & auspiciorum genera videri possunt tum apud Peucerum de divinacione, rum Rosinum aliosq;. Eorum autem, quæ, in bello & militaribus, adhibebantur ex instituto, duo potissimum erant, alterum dicebatur ex acuminibus, quod rotum auspiciū militare erat, teste Cicerone lib. 2. de divinac. §. m. 77. de cuius ritu, formaq; nobis hodie nihil præter desiderium restat, & fatentur plerique se ignorare. Sunt etiam qui indagare satagunt, lectione nonnihil variatâ, ut pro acuminibus legatur cacuminibus, persuasi ex loco Festi in ltr. S. voce Supervaganea. *Supervaganea avis, inquit, vocatur ab Auguribus, quæ ex summo cacumine.* (Peucerus acumine mavult p. 381. de divinac.) *vocem emisit, quia, quasi in altissimis suis perq; omnia vagatur, appellata.* Sic illi existimant hoc genus augurii denotari, quod ex istiusmodi avium clamore sumebatur. Vid. Godofredus JCTus in notis ad lib. 2. Cie. de divinac. Linquimus in suspensio, & ad alterum auspiciandi ritum pergitur magis notū, magisq; olim familiarem. Vocabatur Tripudium solistimum, quod Gallorum erat Gallinaceorum. Non enim tantum qui cælestia auguria sed & qui pedestria bipedum, ex pullorum, nimirum pastu auspicia capiebat, pullariumq; in auspiciū mittebat, auspiciari dicebatur, quod observatum vult ex Cicerone, Sveton, Julio Obsequente, Festo aliisque Briffonius lib. 1. de Form. p. m. 125. Quantum autem Veteres Gallis Gallinaceis in auspiciando tribuerint testatur Plin. lib. 10. c. 21. *Hi Magistratus nostros quotidie regunt, domosq; ipsis suas claudunt aut referant. Hi fasces Romanorum impellunt, aut retinent; jubent acies aut prohibent. Victoriarum omnium toto orbe partarum auspices. Eundem ferme in modum Silius Italicus lib. 5.*

Tunc

Tunc ales priscum populis de more Latinis
Auspicium, cum bella parant, mentesq; Deorum
Explorans super eventū, ceu prescia luctus
Damnavit vesci, planctūq; alimenta refugit.

Quae ultima verba ritum simul insinuant, prout nobis describitur tum à Cicerone, Festo, & aliis. Quoties expeditione quâdam erat defungendum, adhibebatur peritus quispiam in augurium, (*Peritus autem erat, qui silentium quid sit intelligebat. Id enim silentium dicebatur, quod vitio omni carebat*) hæce formulâ: *Quinte Fabi! TE VOLO MIHI IN AUSPICIO ESSE. Respondebat, AUDIVI HÆC. Porro imperavit is qui auspicabatur. DICITO SI SILENTIUM ESSE VIDETUR. Qui adhibitus respondebat nec suspiciens nec circumspiciens, SILENTIUM ESSE VIDERI. Tum ille, DICITO SI PASCUNTUR AVES. PASCUNTUR. QVÆ aut UBI? Attulit, inquit, IN CAVEA PUL- LARIUS. Hec Cic. l. 2. de divinac. §. 71. 72. allatis autem avibus referebatur cavea, emittebantur pulli, apponebatur puls, aut offa, præsertim tamen puls, quia ex eâ necesse erat aliquid decidere, quod tripudium faceret, id est, terripavium (pavire enim ferire est) ex quo notitiam caperent futuri. Nam si pulli per quos auspicabantur non edissent, periculum imminere arbitrabantur, at qui pavissent, bonum auguriū esse putabant, præsertim si ex ore eis edentibus aliquid decidisset, uti recenset *Festus in voce Puls*, innumeri que alii Autores: ut mirari non satis possim, undenam contrarium probaturus sit *Jacobus Dalechampius Scholiastes Plinii ad l. 10. cap. 21.* citans præter mentem Festam. Quoties autem aliquid excideret ex ore pascentium avium, *Tripudium* dicebatur *solistimum*. Observat hic *Brissonius de form. lib. 1. p. 124. Ex lib. 2. Ciceronis de divin. forsan; Terripavium, non terripaulum, primo, deinde Terripudium, mox Tripudium dictum fuisse. Solistimum autem dici censet Festus, quod ex ore avium excideret in saxum solidumve. Quare & viviradix arbor si procidisset suâ sponte sine vitio, sine externâ aliquâ humanâ vi, vocabatur tripudium solistimum. Hoc tripudium verò solistimum (quantum mihi cernere datur) tripudium sonivium (Servius Sonubium lib. 3. Æneid.**

ad.

ad vers. 90.) quoque vocabatur: dicitur enim sonivium, quod
sonet, cum pullo excidit puls, quadrupedive aliquid ex ore. Ci-
cero autem distinguit hæc ad Cœcinnam 16. Epistolarum ad Fam-
il: Non, inquit, tripudis solistimis aut sonivis tibi auguror; Nullo
tamen, credo, fundamento alio, quam quod sonivia tripudia la-
tius pateant; spectabat enim huc si terra contremuisset. Confe-
ratur *Laurenbergii Antiquarius in voce Sollistimo. Turnebi adver-*
sarii, Scaliger ad Festi loca citatis. Servius deniq; ad lib. 3. Æneid. v.
90. Dixi supra, auspiciam dextram habitam fuisse quoties aves
non comedissent. Videri potest præter *Fesium Livius quoq; Dec. 1.*
lib. 5. in oratione Appii Claudii Crassi & lib. 10. circa finem fere. Silius
Italicus versibus supra laudatis. Valer. Max. l. 8. c. 1. Sed & infau-
stum interpretabatur si Pulli non exirent *Valerius Max. lib. 1. cap. 4.*
Si occiderent *Livius l. 6. supra laudato*; aut si evolarent penitus,
Valer. Max. l. 1. c. 6. Sueton. in Galba c. 18. adde Augustinum de Civit.
Del. 3. c. 21. Hæc ergo erant principia secundum quæ judicaba-
tur. Quod si quis neglexisset vel illuisset Deorum (uti putabatur)
per aves responsa, nequiquam ferebat impune. Varia vindictæ
divinæ exempla vide sis apud *Tiraquellum in commentar. ad Alex.*
ab Alex. l. 1. c. 29. & Cic. lib. 2. de divinac. Unicum adjiciam de Clau-
dio Pulchro Consule, qui aves pugnare vetentes, cum pascere
noilent, in aquam mergi iussit ut biberent, cum esse noilent, &
contra auspicia prælium navale iniens superatus est, de quo *Epi-*
tomator quidam Livii Epiomate 2. dicit: Consul Claudius non ab
hostibus sed. Diis ipsis superatus est, quorum auspicia contempserat, ubi
ille pullos præcipitare iusserat quod pugnare ab his vetaretur. Vid.
Florum Epir. Livii lib. 19. Sueton. in Tiber. c. 2. Nihilominus tamen
sudet hunc auspiciandi ritum *Cic. lib. 2. de divinac. §. 73.* Tum igitur
esse auspiciam, inquit, si modo ei (avi) esset liberum se ostendisse, tum
avis illa videri posset interpret & Satelles Jovis. Nunc verò inclusa
in caveâ, & fame enectâ, si in offam Puteis invadit, & si aliquid ex o-
re cecidit, hoc tu auspiciam, aut hoc modo Romulum auspiciam solitum,
putas. Probatque, antiquissimos Augures ignorasse, eo argumen-
to, quia Collegii vetus est decretum omnem avem tripudium facere
posse. Non verò tantum auguria captabant, sed & observabant
Omnia.

omina, *Valer. Max. l. 7. c. 2.* de Papirio Curfore Consule, cum Aquiloniam oppugnans, praelium vellet committere; pullariusque, non prosperantibus avibus, ementitus optimum ei auspici-um renunciasset; de fallaciâ illius factus certior, sibi quidem & exercitui bonum omen datum credidit, & pugnam inivit: Cœterum mendacem ante ipsam aciem constituit: ut haberent Di- cujus capite, si quid iræ conceperant, expiarent. Directum est autem sive casu, sive etiam cœlestis numinis providentiâ, quod primum ab hostibus emissum telum, pectus Auguris feriret. Id ubi Consul cognovit, fidente animo & hostes invasit, & Aquiloniam cepit. Sic memorat *Peucerus de divinatione p. 336.* Cum lupo introisset castra Romana, & laceratis obvius intactus abiisset, exercitibus cladem portendisse erant. In transursu quasi addam, & *de rebus de Imperatore Archida*: qui cum Corinthum obsedisset, & lepus è confinio murorum se proripuisset, fugamque captasset, consternato omine fugacis animalis exercitu; animosè militibus dixit: *Parata, eni nobis commilitones victoria, inertes enim hostes nostros esse oportet, qui leporem tam v. unum capere noluerunt.* Plura adderem ex historiâ Romanâ exempla, *Sigonius nisi collegisset l. 2. de jure antiquo Provinciarum c. 6.* Ex quo quædam de omnibus audire lubet. *Fuerunt, inquit, omnia dicta, factaque, quæ audita ac visa ad Imperatorem rem aggredientem pertinere possent; quæ cum temerè essent oblata propterea ab eo accipi & non accipi poterunt.* conf. *Brissonium de formulis.* Cœterum mores veterum conjectandi victoriam, vid. apud *Piccartum in observat. histor. Polit. Decad. 3. c. 5.* adde Germanorum pro victoriâ auspici-um ex *Taciti lib. de mor. Germanorum.* Ubi omnino adde *Berneggeri quæstiones miscellaneas in Taciti German. atque Agricol. quæst. 9.* judicium ferentis de auguriis, quæ captabant tum Romani pariter atque Germani ex clamore militum. Hæc sunt quæ de auspiciis Imperatorum, eorundemque ritu atque solemnitatibus, notari poterant. Nec addendum quicquam, præterquâ quod non auspici-um tantum, sed etiam litato militare rem aggredierentur, videatur forma sacrificii apud *Sigonium l. 2. de antiquo jure Provinciarum c. 6.* pergimus jam ad

C

CA.

Creatione Imperatoris.

Acturi autem de creatione Imperatorum, præsupponenda erit
 quæstio, agitata quondam inter Nicolaum Gruchium & Caro-
 lum Sigonium: An imperium Magistratui fuerit infusum, ita ut qui
 consulatu aut dignitate Prætorii fungeretur, jò gerendū bellum, exerci-
 citum ducendi, armaq; tractandi habuerit, nullā aliā accedente lege,
 Senatusq; consulto peculiari? Vero negativa videtur similior; affir-
 mativam Gruchio tribuit Sigonius lib. 3. de antiquo jure Prov. c. 7.
 Ut autem constet de mente Sigonii quem sequimur; I. Notandū,
 non quæri, an in designatione Consulū potissimum tales dixe-
 rint viros, qui rei bellicę essent gnari, quib; imperium posset com-
 mitti, si opus fuisset. Quod facillē concedi poterit, præsertim si
 vera sunt (dubitat enim Lipsius de Magistratu Rom. l. 5.) quę Poly-
 bii Megalopolitanus lib. 6. c. 17. scribit; Magistratum urbanum
 capiendi jus nemini est, antequam dona stipendia emerita habeat,
 quo sensu etiam Cic. fortē dixit; Imperatores comitiis consularibus
 delectos, Livius belli Duces legi, cum Consules legebantur, vid. Sigoniu
 loc. cit. p. m. 330. Sed de hoc quæritur, an qui Consul in comitiis
 centuriatis factus, iisdem comitiis, atque ejusdem designationis
 vi, sine aliā lege habuerit jus bellum gerendi? II. Distingui-
 mus inter jus militare perfectum, atq; imperfectum. hoc in eo
 consistit, ut delectum annum habeat Consul, quo copiam juni-
 orum, qui stipendia faciant, inspiciat. Perfectum autem erat Im-
 peratoris, qui exercitui præerat, bellaq; auspiciis administra-
 bat. Concedimus Consuli, ut Consuli, jus illud imperfectum,
 adducti Polybii Megalopolitani auctoritate qui lib. 6. c. 17. Historiā-
 rum. Quando Consules sunt conscripturni milites, diem populo eadē-
 runt, quā die Romanos omnes militaris ætatis sistere se oporteat, atq;
 id faciunt quotannis. Sic Sigonius quoque: Quotannis, inquit, qua-
 tuor legiones conscribi solitas, quę Consulibus ad bella prope quoti-
 dianā proficiscentibus traderentur l. 2. de antiquo jure Provinc. cap. 2.
 Perfectum verò jus habebant non ut Consules, sed ut Imperato-

res, peculiarique lege vel Senatus Consulto aut aliâ ratione. Probat id Sigonius prolixè I. Ex diverso creationis modo; Consules ex multis legebantur: Est enim hæc formula apud Asconium *QVOS VELLENT CONSULES FIERI?* ubi respondebant Centuriæ: *ex iis, qui peccere professi erant. Conf. Feneftella de Magistratibus Rom l. 2. c. 7.* Imperator autem non sic creabatur sed in rogatione legis uni nominatim imperium deferebatur: quo nomine Festus dixit. *Cum imperio esse dicebatur, cui à populo nominatim mandatum erat imperium.* Consules quoque in centuriatis comitiis creatos fuisse inquit Gruchius, tam apertum est, ut supervacaneum videatur probationem hujus rei subjicere l. 1. de comit. c. 2. quod tamen de Imperatoribus nunquam probabitur. Consule de variis ritibus circa consulatum Lipsium de Magistratibus populi Rom. c. 9 & conferantur cum iis solemnitatibus, quibus Imperatores eligebantur, discrepabunt *vid. in d. v. v. v.* Probat II. Sigonius Ex ineundi diversitate. Consulatum enim non inibant Consules quocunque die, sed Kalendis Januariis, *vid. Soldi observat. in Salustii Bell. Jugurth. cum 6. Kalendas Augusti designarentur, uti Asconius in expositione Orationis 2. in Verrem.* Imperium verò alio, ut se obtulerat, die. Neque infringit rationem hanc, quod Castilioneus observat ex Livio & Dionysio, Consules etiam sæpi, cum primum creati sunt, Magistratum inivisse, nec eodem semper die vel mense. In notis ad Salustii Bellum Jugurth: Certum etenim nihilominus est, alio, quo imperium, die auspicabantur consulatum, gemino quoque sacrificio in Capitolio facto. Et in consulatu mutabatur togâ prætexta, in imperio militari occupando prætexta paludamento. Alias deinde adjungit rationes, petitas ex administrationis utriusque; potestatis dissimilitudine; ex diversâ procuratoris in utroque pro rogatione; quo facit locus ille Livii lib. 9. qui non exiguum lucis sententiæ nostræ addit. Fabio, inquit, sicut priorè anno populo continuarat Consulatum, ita Senatus in insequentem annum prorogavit imperium. Coetera, quibus suam sententiam firmare Sigonius laborat cuncta adscribere super sedemus. Salustium laudasse operæ pretium erit haud exiguum; qui in bello Catilinario p. m. 77. Itaque ait, quod in atrocissimum negotio solet, Senatus decrevit. *Darente operatus*

operam CONSULES, ne quid Respublica detrimenti caperet: Ea potestas per Senatum, more Romano, Magistratui maxima permittitur, exercitum parere, bellum gerere, coercere omnibus modis socios, atque cives; domi, militiaeque imperium atque iudicium summum habere; aliter sine populi iussu nulli earum rerum Consuli ius est, (ita namque ultima verba legere mavult. Vincentius Castilioncus, licet duo alia exemplaria, quae Johannes Rivius produxit scripta habeant haec verba Nullus earum rerum &c. Conf. Sigonium l. 3. c. 10. de antiquo jure Provinc. ubi prolixè disputat de sensu utriusque lectionis.) Quibus sic sententia nostra probata, facilis erit labor quae obijciuntur à Gruchio destruere. Primum est, Consulibus regia fuit potestas. At Reges belli administrandi jus habuerunt; E. etiam Consules: prius ex Cicerone probat lib. 3. de legibus: Regio imperio duo sunt. Iique praecundo, iudicando, consulendo, Praetores, Iudices; Consules appellantor. Respondemus. Non omninò verum esse, Consules Regiam habuisse potestatem. Sic enim Q. Fabius apud Livium: Ego, inquit, P. Cornelium Respublica, vobisque, non sibi ipsi privatim creatum Consulem existimo, exercitusque, ad custodiam urbis, atque Italiae scriptos esse, non quò regio more per superbiam Consules, quòz rerarum velint, emjiciant. Ex quibus patet, Regibus quaedam licita fuisse, quibus tibi Consulibus fas nò erat. Sunt tamen ex Autoribus, qui inter initia consulatus primorum Consulum post exactos Reges, & posteriora tempora distingui videntur. Sic enim Fenestella ait de Magistr. Rom. l. 2. c. 7. tempore P. Valerii Consulis, (quem Collegam Bruti, post Tarquinium Collatinum, ob genus Tarquiniorum invisum remotum fecerant) ut sunt mutabiles vulgi animi, in ipsum invidia atque suspicio cum atroci crimine oborta est; & cum purgando nihil patrocini inveniisset, auctor esse instituit ferenda legis, ut adversus omnes Magistratus esset provocatio ad populum. Tum verò Consularis auctoritas, (pergit,) Regiae potestati longe inferior esse cepit, ac libertatis jacta semina mirum in modum convulsisse visa sunt. Confer etiam Lipsium de Magistratibus Veteris populi Romani c. 7. itemque c. 9. dicit potestatem Consulum poscente salute publicà ita auctam fuisse, ut par Regiae potentia esset. Conf. etiam p. 61. Obijcit 2. Consules dictos fuisse Praetores. Praetor autem significat

gnificat is, cui parer exercitus. E. Consules ex jure consulatus ha-
 bent imperium bellicum. Respondemus ad hoc 1. appellationem
 ipsam quod attinet, concedimus dictos fuisse Praetores, qui antea
 Consules, ita enim Festus testatur, & Lipsius de Magistratibus Ve-
 teris Rom. pop. c. 7. Primo, inquit, Praetores dicti, quod nomen, est
 commune omnibus imperiis, tamen velut per excellentiam adhasit
 Consulibus. Sed hoc factum est tum temporis, cum nomen praetor-
 ium; nondum peculiarem haberet magistratum à Consulibus
 distinctum. Rosinus l. 7. Rom. Antiquit. c. 9. Et retinuerunt hanc
 appellationem secundum Tomaram atque Lipsium usque ad De-
 cem-Virum tempora, quibus exactis successit Judicis; mox Con-
 sulis Etymon. Non valet autem, quando Gruchius concludit, di-
 citur Praetor secundam Varronem l. 4. de ling. lat. qui jure praet & e-
 exercitu. E. quicumque est Praetor propter praeturam tantum ha-
 bet jus armorum, bellumque gerendi, unã cum potestate jus dicen-
 di. Sunt enim verba intelligenda divisim, non conjunctim, in
 sensu diviso, non juncto. Non enim omnis Praetor bella gerebat:
 nam si Lipsio credimus, Praetores creati sunt, cum saepe Consules bellis
 advocarentur, neque esset in urbe, qui jus diceret; ut proprie huic mu-
 neri vacarent. Lipsius de Magistr. veter. Rom. pop. c. 10. Quod si au-
 tem exercitui simul praeset, obtinuit jus non populi scito in Cen-
 turiatis comitiis, sed lege curiata. Existimar tamen Sigonius
 nunquam ipsis concessum fuisse rem pro suo jure gerere, sed hanc
 potestatem ad annuos delectus habendos pertinuisse. Sed quid
 multis opus est verbis, citat Gwilhelmus Godelevaus in lib. 3. Tit. Li-
 vii ex Varrone l. 2. de vitã P. R., dicente ideo Praetores dictos, quod
 praesent populo. Hisce jam Gruchium dimittimus, quæ porro
 adducit fundamenta, actui disputatorio reservantes. Pergimus
 recto, quod ajunt, pede, ut unde habuerint ducendi atque regendi
 exercitum potestatem intelligamus. Sed non uno ad hanc qua-
 sitionem responderi poterit modo: Siquidem diversus semper fu-
 erit modus creandi Imperatores, prout alia succedebat Romani
 Imperii ætas. Primã namque ætate, quã & infantiam referi-
 mus & adolescentiam ex parte, (vid. Florus de variis Romana rei æ-
 tatibus in prologo libri primi.) Cum Imperatores Romanos ad exer-
 citum

circummittere necessum esset, complures ex Romanis in Capitolio à sole oriente auspiciis operam dare solebant, ubi aves adlaxissent, militè illum, quem aves addixerant, Prætorem salutarunt. Uti testis nobis hunc ritum reliquit in voce Prætor. Postmodum verò & in ætate adultâ sive juvenili, cum ad maturitatem quandam robustam pervenisset virtus Romana, hoc est, usque ad tempora Cæsarum, longè alia eligendi aut designandi Imperatores erat ratio. Etenim aut Imperator ex plebe sumebatur, aut ex Consulibus, Prætoribus aliisque; si prius, creabatur Plebiscito in Tributis Comitibus; populus enim tributim convocatus ita rogabatur: *Vultis, jubetis ne, ut hic privatus in hac aut illâ provincia imperium, habeat, aut ibi pro Consule aut pro-Prætoris rem gerat?* Tribus responderunt; *Volumus, uti rogam.* De quibus ita Cicero lib. 2. de divinâ: §. 76. 77. *Quam multi anni sunt, cum bella à pro-Prætoribus & Pro Consulibus administrantur, qui auspicia non habent? itaq; nec annes transeunt auspiciato, nec tripudio auspicantur.* V. Sigonius l. i. de Antiquo jure Civ. Rom. c. ult. Quod si verò Consuli & non plebeo imperium mandaretur, vel Senatus-Consulto id factum est, vel lege curiata. Senatusconsultum adhibebatur, quando subita ingrueret belli tempestas; aut si in extremum discrimen adducta esset res Romana. Hinc vocatus est hic ritus *ultime necessitatis forma*. adhibebatur autem formula communis *DARENT OPERAM, UT DERENT CONSULES, NE QUID DETRIMENTI RES PUBLICA CAPERET.* Livius lib. 3. De bello contra Equos suscepto. *Tantum, inquit, terrorem incussere Patribus, ut, (quæ forma Senatus-Consulti ultima semper necessitatis habita est.) Posthumio alteri Consulium negotium daretur, videres, ne quid detrimenti Res publica caperet.* Sic Cæsar initio l. i. de bello Civili. *Decurritur ad illud ultimum, atq; extremum Senatus Consultum, quò nisi pene in ipso urbis incendio atq; in desperatione omnium salutis, latorum audacia nunquam ante discessum est, Deut operam Consules & c. Conf. Veget. l. 3. c. 1. adhibe Godesf. Stevechii comment. in hunc locum. Sic Cicero Philipp. 8. §. 14. scribit de Senatus Consulto Opimii: Quod Lucius Opimius Consul verba fecit de Republicâ, de eâ re ita censuerunt: **UTI OPIMIUS CONSUL REMPUBLICAM DEFENDE-***

DE-

DERET. Senatus hæc verbis, Opimius armis. Eodem modo Camillo assignatum imperium. Livius Dec. 1. lib. 6. Vid. Plutarch. in Cicerone pag. 368. Cum Reipublicæ à Catilinâ periculum immineret, fit Senatus Consultum; ut committeretur Consulibus Respublica, ii viderent, ne quid detrimenti Respublicâ caperet; id non frequenter, sed in gravi discrimine facere Senatus solebat. Hoc E. Senatus Consultum sufficiebat Consuli ad capesendum belli imperium. Sic enim Cicero pro Milone. S. 70. Quo uno versiculo (nempe ut videret Pompejus, ne quid detrimenti Respublicâ caperet.) Satis armati semper Consules fuerunt, etiam nullis armis datis; videri poterit Sigonius quoque lib. 3. de Antiq. jur. provinc. c. 10. Deinde autem, quod & frequentissimum erat, lege curiatâ constituebatur Imperator: Distinguendum hic omninò esse censemus cum Sigonio inter jubere bellum, & jubere belli Imperatorem esse. Bellum in Centuriatis jubebatur comitiis, concedimus. Sic enim Livius lib. 42. Patres, quod factum felixque populo Romano esset, centuriatis comitiis primo quoque die ferre ad populum Consules jasserunt, ut quod Perses Philippi filius Macedonum Rex adversus factus, cum Patre Philippo ictum, & secum post mortem ejus renovatum, sociis populi Romani arma intulisset &c. ut nisi de iis rebus satis fecisset bellum cum eo iniretur. Vid. Sigonius l. 1. c. ult. de Antiq. Jur. Civ. Rom. at belli Imperator in comitiis Centuriatis non constituebatur, nec præter unicum, hætenus aliud invenire potui exemplum, P. Corn. Scipionis, qui à Centuriis declaratus est Imperator in Hispaniâ. Legere est apud Livium. lib. 26. anno tamen etiam Rosinus lib. 6. Antiquit. c. 9. Distinguendum porrò esse censemus inter leges curiatas, quarum quidem erant sex numero, sed quatenus imperia spectabat, duplex erat: Una ferebatur olim Magistratibus Patriciis jam designatis, quâ populus infirmare sententiâ priorem comitorum Centuriatorum poterat, aut confirmare. Hâc ratione, credo dixit Cicero, de lege Agrar. contra Rullum S. 26. om. 16. Inaudium, & plane novo more est, uti curiatâ lege Magistratus detur, qui nullis comitiis antea sit datus. Et licet hæc verba Godelevæus aliter explicet, probaturus exinde; Nemini curiatâ lege imperium datum fuisse, nisi antea veris comitiis datus fuisset Magistra-

tus,

tus, malumus tamen inherere sententiæ atq; glossæ D. *Gotofredi in notis margin. ad h. l. ita exponens: Lex curiæ, seu secundis Comitibus Magistratus dabant, qui comitiis, vel centuriatis vel tributis ante fuisse dati.* Altera verò lata fuit de imperio Consuli, aut Prætori aut pro Prætori, aut Pro Consuli ad bellum eunti concedendo. Et cum prior lex postremis temporibus obsolevisset hæc sola mansit. Quare à Dione *Lex curiata vocata lex militaris fuit, & Livius lib. 5. Curciata comitia rem militarem continere dixit: Probamus autem Imperatores creatos fuisse per legem curiatam. Quia Cicero in Agnatis expressè dicit; Consules sine lege curiata rem militarem attingere non possent.* Itemq; ex Livii lib. 9. dicitis: *Papirius C. F. nium Bubulcum Magistrum equitum dixit, atq; ei legem curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffidit;* conferatur quoad explicationem horum verborum Sigonius l. 3. de *Antiq. jur. provinc. cap. 8.* Sic neminem in re militari imperium habuisse constat, nisi cui id in urbe curiata lege datum fuisset, id quod Cicero etiam testatur lib. 1. *Epist. ad familiares quas vocant, Ep. 9. ad quem locum conferri poterit Sigonius lib. 2. de Antiq. jur. Provinc. c. 1.* Quoties enim in provinciam quandam exercitus mittendus erat, & Imperator legendus, populus curiatim vocatus, sic rogabatur. *Vultis, jubetione, ut hic Consul, aut Prætor, aut Dictator imperium in hac aut illa provinciâ habeat?* Curia respondebant: *Volumus, uti rogas.* Sigonius lib. 1. c. 21. de *Antiq. jur. Civium.* Ex recentioribus autem in testimoniū nostræ sententiæ citare possumus *Alex. ab Alex. Rosinū, ubi agit de Comitibus Curiatis loc. cit. sæpius. Gwilhelmū in idem Godelevæum in notis ad Livium, non uno in loco.* Duravit autem hic designandi Imperatores per legem curiatam mos usque ad tempora Cæsarum. Tunc enim Imperatores, qui exercitui præerant, non uno semper creati sunt modo, alii Imperatorum hanc potestatem per vim rapuerunt, alii per adoptionem: quæ omnia hic recensere tempus & chartarum angustia non patiuntur *V. Bulling. lib. 1. de Imperatore Rō. c. 1.* Ubi præsertim adoptionis solemniale gere potest lector. Illum saltem ritum hic paulisper persequi, atq; ex Autoribus variis explicare juvat, qui per milites exlequebatur. Primus enim Claudius à militibus Imperator denunciatus est, penes quos

d. cin-

deinde Imperatores creandi potestas fuit, si legitimus Imperii
 hæres desideraretur. Quamquam & hic subinde variatum, cum
 milites interdum à Senatu Imperatorem postularint, interdum
 ipsi seditione militari crearent; *verba sunt Bullingeri lib. i. c. u. de*
Imper. Rom. quod si vero Bullingeri autoritas non sufficeret, adda-
 mus consensum *Vopiscti in Tacito.* *Exercitus,* ait, *qui rapim*
Imperatorum creare solebat, ad Senatum literas misit, petens, ut ex ordi-
ne suo Principem legerent. Verum Senatus, sciens, lectos à se Principes
militibus non placere, rem ad milites resedit, dumq; id sepius sit
peractus est mensis; & apud eundem notatu digna sunt verba Ve-
lii Cornificii Gordiani Consulis ad Senatum quæ fecit: Agite P. C.
Principem dicite; aut accipiet eum exercitus quem elegeritis, aut se
refutaverit alterum faciet. In tantum elevata erat Consulium Se-
 natusq; potestas tum temporis. Unicum addam ex *Theodoro*. U-
 bi Valentinianus ad milites *ὁμιλίαν ἐν τῷ στρατοῦ, βασιλεὺς ἐκ*
ὄρως ἐποιεῖ δὲ βασιλεὺς τὰς νίκας. Vestrum fuit Committiones,
eum non esse Imperator, mihi habenas Imperii dare. *Theodoretus*
l. 4. c. 5. quibus, si addet lector benevolus ea, quæ *Christ. Lehman-*
nus lib. 1. Chron. Spirens. 15. ex variis probatæq; notæ Autoribus
 annotavit, minimè operam perditurum scio. Ad ritus autem &
 solemniam tum temporis adhibita, ut descendam, notandum Im-
 peratorem à militibus denominatum atq; sic designatum, fuisse in
 scuto positum, atq; in castris sic circumlatum; purpurâ quoque
 indutum atque diademate cinctum. Totum hunc ritum descri-
 bit *Ammianus Marcellinus lib. 20. p. m. 173. c. 9.* cuius verba non pos-
 sumus non adscribere. *Impositus,* inquit, *Scuto Pedestri & sublati*
eminens populo silente Augustus renunciatus est Julianus, jubebatur
diadema proferre; negansq; unquam se habuisse, Uxor collis vel ca-
pitis postebatur. Eoq; adfirmante primis auspiciis non congruere a-
ptari muliebri mundo, equi phalera quarebatur, uti congruâ ornatus
specie saltem obscuram superioris præenderet potestatis. Sed, cum id
quoq; turpe esse asseneret; Maurus nomine quidam, Peculantium tunc
basilicus, abstractum sibi torquem, quo ut draconarius utebatur,
(sic signiferi, qui signa portant, vocabantur.) Dracones enim per
singulas cohortes à draconariis feruntur ad prælium. Modestinus
lib.

lib. de vocab. rei milit. Capituli Juliani imposuit confidenter. Idem refert. quoque Socrus. Histor. Eccl. lib. 3. c. 1. & Cassiodorus in Histor. tripart. l. 6. c. 1. de Juliani designatione hinc similia memorat. De purpurâ autem, quâ induebantur Imperatores testatur idem Ammianus passim l. 15. p. 53. in Coronatione Juliani l. 26. p. 335. cū Valentinianus Rector Imperii pronunciaretur: Herodianus quoq; l. 6. quod invitis nonnunquam purpura injecta. De impositione Imperatoris in scutum & circumgestatione videatur Suetonius in vita Ottonis. Deficientibus lecticariis omisâ morâ succollatus est, & à presenti comitatu Imperator consalutatus. c. 6. & in vita Claudii. Claudius à militibus lectica impositus, & quia servi diffugerent, vicissim succollantibus in castra delatus est. Bullinger. lib. 2. c. 2. de Imperatore, existimat Imperatores ideo ad castra & Prætorium festinasse, ut gratias agerent militibus, quod imperio suo consensissent; Nescio autem, an hæc elevatio ideo facta sit, ut militibus ostenderetur Imperator; Innuere enim videtur Capitolinus. de Gordiano loquens: Plura qui cupit, evolvat Bulling. loc. cit. Nicolai item Henne-
lii ab Honnemfelse JCTI, otium Uratislaviense, qui c. 46. plenius hunc ritum deducit. Marquardum Freherum in notis ad Petrum de Andlo l. 2. c. 6. testantem, hunc ritum durasse ad tempora usq; Caroli M. qui primus unctioe delinitus fuit, ante ipsum autem aliud quoddam solemne adhibebatur, levati, elevati, sublevati sunt in Reges Imperatores. Neque verò prætereundum est, quod ex Suetonio passim colligitur. Cùm Imperatores salutabantur, porrigebatur ensis, sic enim in Vitellio cap. 8. Vix mense transacto neque diei, neq; temporis habitâ ratione, ac jam vesper, subito à militibus è cubiculo raptus in veste domestica. (hinc Forenses in discrimen opponebantur, quibus in publicis utebantur) Imperator est consalutatus, circumlatusq; per celeberrimos vicos, strictum divi Julii gladium tenens. Quemadmodum de eodem dicitur, quod in signum resignationis Imperii solum à latere pugionem, Consuli primum, deinde illo recusante, Magistratibus, ac mox Senatoribus singulis porrexerit, Sueton. l. 7. c. 15. Idem quoque Tacitus l. 3. Hist. c. 68. qui pugionem jus vitæ necisq; civium continuisse asserit. Plura vide in notis Dempsteri ad Rosin. lib. 10. c. 10. Itemque de usu gladii in significando

do Imperio vid. apud *Job. Ottonem Taborum in Armamentario Justiniano Protheoria* §. 10. 11. 12. Ceterum ut materiam hanc de creatione Imperatorum pertexamus; notandum est tempus, quo hi ritus peragi consueverunt. Certos enim dies certaque dici spatia observata fuisse ex supra citato Suetonii loco videre est, ad quem locum notari potest ex *Plutarchi quaestionibus Romanis, Romanos cavisse sibi à dici. Et mensis sine tanquam agendo inutili tempore, cujus rationem ibidem Plutarchus investigare conatur.* De Dictatoribus vero Romanis memorat *Wilhelmus Godelevaeus annotat. in l. 3. Livii. Dictator est tam qui revere belli, quam Comitiorum causa dicebatur, noctu dici mortis fuisse ex illo scilicet, quod Livius dixit. l. 9. Nocte deinde silentio, ut mos est, Papyrium Dictatorem dixit.* Haec sunt, quae de creationis, imperiumque deferendū ritu inpraesentiarum dici poterant. Mittebantur autem ad bellum cum Imperio vel privati vel ex Magistratu, vel post Magistratum. De privatis ita *Signonius* eruditè. *Relinquuntur quidam, qui neq; ex Magistratu, neq; post Magistratum, sed ex privatis, non in provincias, sed ad bella cum Imperio mittebantur, aut Consulari potestate aut praetorio, unde pro Consules & pro Praetores dicebantur.* Mittebantur autem lege, ut *P. Scipio* pro Consul in Hispaniam aut *S. C. ut C. Octavianus* pro Praetore in Galliam. *Vid. lib. 3. de antiquo jure provinciarum c. 13.* Qui autem ex Magistratu mittebantur, erant vel Consul, vel Praetor, de quibus tum *Signonius* passim, tum *Vegetius lib. 3. de re militari c. 1.* Et omnino *Godefr. Stewechius* ad hunc locum, ex quo notare licet Consulem utrumque non raro ad bellum urbe egressum fuisse, probat ex *Caesare lib. 1. de bello civili*, praesertim si pluribus hostibus resistendum esset, & tunc fortiebantur inter se provincias. Si autem uni saltem esset exeundum, fortiebantur nonnunquam inter se, cuinam bellum gerere contingeret. Discimus ex *Dione in Pompejo*, belli administrationem contra *Cretenses Hortensio* addixerat fors, qui tamen foro deletabatur & *Metello* Collega ultro exercitum cessit. Interdum vero Senatus Consulto dirimebatur haec contentio inter Consules. Sic in bello *Catilinario* Senatus Consulto urbi Praeses constitutus est *Cicero*. *Antonius* *Catilinam* cum exercitu persequi iustus est, vid.

quoque Livius lib. 3. scribens. Fabio, ut Antium legiones duceret datum, Cornelius ut Roma presidio esset, ne qua pars hostium (qui Antius mos erat) ad populandum veniret. Praetores vero administrasse bellum testis est Livius lib. 42. Praeter Consulares exercitus, Praetores quoque iussi scribere milites erant item lib. 31. aliique infiniti scriptores. Mittebantur autem ad bellum vel potestate propria i. e. adjunctis tantum sex securibus, unde Praetores dixere *securarii*, quod est sex securium, dimidium enim dignitatis habent atque Consules: Vel cum dignitate Consulari, tum sex alios secures assumebant. V. Sigonius lib. 2. c. 1. de antiq. jure Provinc. Et si Consularis haec dignitas non accessisset, dicebantur minores Duces, & tantum ducebant unam legionem, decem millia peditum, & duo millia equitum. Si vero cum Consulari potestate exirent, viginti millia peditum & quatuor millia equitum. Haec Vegetius l. 3. c. 1. de re militari indicare videtur. De his demum, qui post Magistratum bella gesserunt Livius lib. 8. Actum cum tribunis esset, ad populum ferrent, ut cum Philo consulatu abisset, pro Consule rem gereret. Horum vero imperium certo temporis spatio limitabatur, quo praeterlapso, prorogari necessum fuit, si videlicet e re esset Romanam, ut diutius exercitui Dux imperaret. Id fiebat vel Senatus Consulto, vel a populo impetrabatur. Livius lib. 9. de Fabio, inquit, Fabio sicut priore anno populus continuat consulatum, ita Senatus in insequentem annum prorogavit Imperium. Quod etiam prorogatio a plebe fuerit factam docet Sigonius lib. 3. de antiq. jure Provinc. c. 11. Tempore autem Syllae Dictatoris lex ab eodem lata est, ut qui ex Senatus Consulto provinciam obtinisset, in ea Imperium haberet, quoad in urbem revertisset, cujus legis Ciceronis mentionem facit in Epistola ad Lentulum lib. 3. ad famil. ep. 9. Confer Rosinum l. 8. c. 8. consuevit autem temporibus Reipublicae liberae ita: postmodum vero libertate perditam, cum penes Augustos esset summa rerum, nulla verè facta est prorogatio, nisi ad speciem, dum per totam vitam obtinuerunt, speciem enim quasi prorogationis pra se ferebant ludi decennates, quos instituebant Imperatores singulis decem annis, de quibus legi potest Trebellius Pollio in Galieno, ubi solemnia recensentur multis modis à Galieno aucta.

Et. Mos autem inde traxit originem, quod Octavianus olim promississet, se post decem annos & regnum & provincias, quas antea sortitus fuerat, relicturum, Senatuique concessurum; verum postquam exivissent hi decem anni, aliud quinquennium sibi decerni curavit, sic continuatis decenniis per totam vitam imperium retinuit: confer, *Dio in Augusto l. 53. Suetonii comment. ad l. 2. Vegetii de re milit. c. 9. Rosinum lib. 5. c. 22.* Et hisce finem capiti de creatione Imperatorum imponimus.

CAPUT IV.

De

Insignibus atq; Vestitu Imperatoris deque armis & suppellectile.

Quartum jam ordine aupticamur caput de insignibus Imperatorum. Describuntur nobis insignia: quod certa quedam sint symbola characteresq; certi, ex quibus rem aliquam cognoscimus. Sive, Insigne est signum alicujus gradus, quo quis ab aliis dignoscitur, uti describit *Gwido Panciroli. l. 1. var. lect. c. 9.* ubi pluribus de voce insignii agit. Quæ ergò indicabant Imperatoriam potestatem, peculiare erant notæ nunc explicandæ. Inter hæc autem primo ponimus loco habitum Imperatoris externum. Qui enim in bellum ibant, mutabant indumenta sive, uti in fragmento *Salustii, quod Isidorus lib. 19. laudat, dicitur: togam paludamento mutarunt.* Erat ergò insigne quoddam Imperatoris paludamentum & appellatio Imperatoris vestis propria. Litem hîc movet nobis *Nicolaus Gruchius* scribens. *Ex paludamento non potest concludi imperium, quod etiam Lictores paludati essent, qui tamen non essent Imperatores. Quibus etiam addi posset, quod Festus scribit ex libris Auguralibus. Paludati, inquit, in libris auguralibus significant (ut ait Verrinus) armati. ornati, omnia n. militaria ornamenta paludamenta dici.* Verum ad prius respondet scitè pro more *Sigonius l. 3. de antiq. jure Provinc. c. 7.* *Risi, ait, Gruchi! quod non videres illud paludamentum Lictoris ad Consulatum referri, non ad Lictorem.* Quare,

Q. 2

quod

quod inquit, probare me debuisse, solos Imperatores paludamento ornatos fuisse, nihil est, quia paludamentum lictorum, non lictorum erat insigne, sed Magistratum, quatenus erant Imperatores; ut laurea non erat lictoria, sed Imperatorum, qui de hostibus victoriam reversissent; & fasces non erant lictorum fasces, sed eorum, quibus praeferbantur. Ad posterius dicimus concedendo laxam vocabuli paludamenti significationem, ut etiam sagum militis coloribus variis auroq; distinctum atq; ornatū paludamentū dictū sit, ut testatur Livius de Curatio è trigeminis caso, nihilominus tamē *κατ' ἐξοχήν* de veste usurpatur Imperatoriā eiq; maxime appropriatur, forsitan quia paludamentum Imperatoris maxime purpurā, cocco atque auro depicta atque distincta fuit. Quare Isidorus scripsit, Paludamentum fuit pallium Imperatorium cocco, purpurā & auro distinctum, dictum, quod eo indutum palam faceret Imperator se ad bellum exire. Cui addi potest Alex. ab Alexandr. (cujus in antiquitate deducēda secundū Vosium non infima erit autoritas) sic autem ille. l. 2. c. 8. Paludamentum Imperatorum fuit insigne, ut lituus augurum, Pontificibus galerus, quæ verba ex Apulejo in Apolog. sine dubio desumpta sunt. Jam formam paludamenti ut non nihil delineamus, opere erit pretium. Non disputabimus, unde dictum sit paludamentum? num potior sententia sit Varronis, qui paludamenta dicta putat propterea quod conspiciuntur, qui ea habent, ac fiunt palam: num verò Isidori amplectenda opinio modò recensita? Formam paludamenti nobis descripsit Lipsius; *Extrema longitudinis erant angusta imis latioribus.* Faciem paludamenti ibidem ex antiquis lapidibus tabulis æneis exprimi curavit vid. l. 2. de militiâ Rom. dialog. 12. Conferri poterit (citante Godelevo, ad l. 21. Livii.) Lazarus Bayssius in sin. cap. II. in L. Vestis ff. de auro & arg. leg. qui paludamenti picturam ad vivum ex Romanorum marmoribus expressit. *Coloris quoque qui nummos Imperatorum edidit p. 36. tractat. num. 23.* Ubi Augusti paludata statua in nummo quodam representatur. Hoc verò pallium non induebatur totum, verum ex parte; lævo videlicet injiciebatur brachio, quod

quod non tantum pictura ostendit, verum & Livius innuere videtur, *dec. 3. lib. 5.* neque consuebatur, sed in humero dextro fibulâ constringebatur. Vid. *Sigonium de Jndiciis l. 3. c. 18.* Colorem nunc ut attingamus, sciendum, purpureo fuisse atque albo. Sic enim *Valerius Maximus l. 1. c. 6.* de Crasso pugnaruro contra Parthos. *Ducturus erat à Carris contra Parthos, ei pullum traditum est paludamentum, cum in praelium ex-untibus album aut purpureum dari soleat.* Monet hinc *Lipsius loco supra citato*, novum esse, quod *Valerius* ait de albo colore, verum tamen: purpureum enim colorem magis firmare Auto- rum testimonia; prolixè varia adducit, quæ transcribere hinc superfedemus excepto *Plinii loco l. 22. c. 2.* testatur enim *Plinius* coccum colorem Imperatoris dicatum fuisse paludamentis. Hocce paludamentum prout magnificum Imperatoris orna- mentum erat; ita turpissimum putabatur amittere in praelio vel pugna: & deposuisse certum fugæ indicium erat. In compendio hæc videantur apud *Clarissimum Casaubonum in not. ad l. 2. Sueton. c. 10.* quo nomine dixit quoque credo *Suetonium l. 1. c. 64.* *Cæsarem paludamentum mordaciter traxisse, ne spolio potiretur, cū ad Alexandriam urbem subit à hostium eruptione in fugam conjiceretur, ut vix nando evadere posset.* Ob hoc enim spoliū exultabant maximè hostes, quod *Dio* de Cæsaris paludamen- to testatur, quod illo potiti *Ægyptii* in trophæum, tanquam si Cæsarem interemissent, suspendissent. Hoc ergo primum Imperatoriæ dignitatis erat indicamentum. Huic secunda adjungenda essent, fasces cum securibus. conf. *Godelevanum in l. 3. Livii*, vid. *Livium* *de cad. 3. l. 8.* paludatique lictores. sed cum pauca de hisce dicenda & capite præcedenti circa finem nonnulla ex *Sigonii l. 2. c. 1. de antiq. jure provinc.* inserta sint, indè repeti possunt. Si placet *Stevvechius* addatur in *notis ad Vegetii l. 2. c. 22. de re milit.* confirmans, quod & apud omnes obvium est auctores: Imperatores cū Victores redirent, laureâ ornasse fasces, atque post triumphum in Capitolio deposuisse. Sed etiam hoc tempore Cæsarium immutatum legimus: cū omnium Principum fasces & semper laureati conspicerentur

Lipsius.

Lipsius in l. 13. *Annal.* Tertium symbolum ex quo dignitas Imperatoria cognoscebatur, equum putamus Imperatorum, autoritate Dionysii innixi, qui de L. Quinctio Dictatore ad aratrum capto l. 10. *antiq. Rom.*, ait: *Uti paulo prior jam erat, equos ipsi phaleris decorè ornatos admoverunt, & secures cum fascibus, vestesque purpuratas, & alia insignia, quibus olim Regium Imperium decoratum erat, obtulerunt.* Citat Lipsius l. 2. *de milit. Rom. dial. ult.* qui imperatorii sequi phaleras ex columnâ Trajani in Italiâ posita ibidem delineat. Item in *comment. ad l. 15. annal.* Dionysio verò subjungimus Bullingerum, qui lib. 3. *de Imperatore Rom. c. 20.* ait: *ut nemini fas in regiâ sellâ sedere, ita neq. in Regio equo, si regis ephippiis ornatus esset.* Ornatum equi Imperatorii describit ibidem pluribus ex *Apuleji l. 10.* Et dubito an quisquam luculentius exactius, que: quod insignitus fuerit phaleris aureis; fucatis ephippiis, purpureis tapetis, frenis argenteis, pistilibus baltheis, tinnabulis perargutis. Idem *Plutarchus*, dum Crassi equum *ἵππον. vocat ἐπιφανὸς κεκοσμημένον ἔ Φαλάραρον ἀνάπλωρον* auro ornatum & phaleris plenum. Qui luxus tempore Caesarum maximè crevit, dum non tantùm gemmæ adoptatæ, sed etiam tibialia rubra circum talos alligata quoque, imò soleæ aureæ pedibus subligatæ, quæ omnia prolixè *Bulling. l. cit.* ut nihil præterea addi possit, nisi quod ex *Plutarcho.* observavimus in *Fabii Maximi vita p. m. 175.* Quamvis omnibus Imperatoribus fas esset hoc equo vehi, neminem tamen Dictatorum equo uti potuisse, quod vetusta quædam lex id prohiberet. Rationem hujus constituti indagare conatur *Plutarchus*: factum esse vel ob eam causam, quod cum plus inesse roboris in pedestribus copiis putaretur, propterea in legione permanere, nec locum deserere deberet Imperator: vel quod cum ad alia omnia Dictatoris esset singularis potestas, in hoc uno voluerunt eum inferiorem esse. Singularem igitur favorem indultum est Fabio Dictatori, ut equo veheretur, quod & legi potest apud *Livium l. 3. decad. 3.* Equis autem hisce Imperatoriis adjuncti ministri seu curatores, qui stratores dicebantur. Inde

forfan, quod stragulum equi sternerent. Hi frantum equi, ascendente Imperatore, tenebant; imò cum stapedes antiquis in usu non essent, insipienti suppetias ferebant. Sic *Plutarchus in Crasso* m. 567. ἢ οἱ ἀνελκόμενοι ἀντὶ τῶν ἀπέσιλασθαι στρατορες εὐμ ἐν ἐκὺμ σὺστῶν. Sic *Spartianus in Antonio Caracalla* l. 30. Deniq, inquit, cum illum in equum strator ejus levaret pugione latius confodit. De quibus stratoribus videatur *Bulling. de Imp. Rom.* l. 3. c. 20. *Stevvech in comment. ad l. 1. Veget.* c. 7. & l. 3. c. 10. p. 280. *Guidus Panciroli* l. 2. thesauriar. lect. c. 14. & 188. Caterum erant adhuc alia indicia Imperatorie potestatis. Testatur *Bulling. l. 2. de Imp. Rom.* c. 2. & ex *Tacito*, aliisque patet: Imperatores in castris tribunal cespitium exstructum habuisse, ex quo vel verba ad milites faciebant, vel si audiendi essent legati, legationem excipiebant; Hic locus adeò facer erat Majestati Imperatorie, ut nemo vel conscendere illud, vel exinde alloqui milites posset, nisi Imperator esset, aut Imperii affectati suspensionem subire, non vereretur. Qui ergò constitutus in hoc tribunali cernebatur, Imperator audiebat meritò. Quæ sententia confirmatur exinde: quod posterioribus temporibus, quoties novus creandus Imperator, in argumentum renunciationis hoc in tribunali statim poneretur, teste non uno in loco *Ammiano Marcellino* vid. l. 15. p. 57. l. 26. p. 335. Structuram & schema hujus cespitii tribunalis ex antiquo nummo Imperatoris Probi depingi curavit. *Fr. Lindenbrogium* in *observat. ad Ammian.* l. 15. qui omninò evolvendus. *Stevvech.* quoque in *notis ad Vegetii* l. 2. c. 7. in nummis Trajani. confer notas in l. 3. c. 9. p. m. 271. & qui primo fermè loco erat nominandus *Lipsius in comment. ad Taciti* l. 1. *annal.* Facere quoque nò possum, quin adscribam, quæ lucem ferunt hactenus dictis de tribunali Imperatorio. Dixi modò Imperatores post electionem constitutos fuisse in hoc tribunali Imperatorio, observatus est hic mos temporibus quoque *Caroli IV.* & post eundem. Sic enim *Trithemius Abbas in secundo Volumine Chronicorum Hirsaug.* nondum edito scribit de *Ruperto Rege Romanorum* (qui post degenerem *Wenceslaum* rerum Germanie potitus est)

E

est)

est) Anno 1400. (citat hæc Freherus l. citando) post depositionem Regis Venceslai Principes, qui apud Loufein oppidum Cis-Rhenanum, hand procul à Confluentia convenerant, Johannes videlicet Archiepiscopus Moguntinus, Wernherus Trevirorum & Fridericus Colonienfis, non obstante absentia Ducis Saxonum & Marchionis Brandeburgensis, Rupertum Comitem Palatinum Bavarieque Duces, coElectorem suum in Concilio presentem, unanimi consensu in Regem Germanie & Imperatorem Romanorum concorditer elegerunt, quem Rheno transmissis in sedem Regni sub nunciis ex more collocarunt. Quæ ultima verba notatu digna videntur. Sed ut eò melius intelligatur, & quid per sedem regni? quid per nunces intelligatur? addam explicationem horum verborum ex Marquardo Frehero Consiliario Palatin. Electoralium notis ad Petrum de Andlo. l. 2. c. 2. Sedes regni (ait) illa, quam dicit, vulgò der Königstuel adhuc existat & visitur in ipsa Rheni ripa, prope oppidum Rheinsse, subdensis arborum comis, suggestum quoddam è saxis structum columnis impositum, viginti circiter gradibus ascendendum: scamna supra circum habens ad confessum: ut ibi Rex primum intro visaretur & voce præconis proclamaretur. Loco indeo, ut quidam observarunt, electo, quod ibidem sonantis tuba clangor à quatuor Rheni Electoribus, in propriis singulorum territorijs exaudiri possit. Moguntino in Lanstein; Treverico in Capella; Colonienfis in Rheinsse (quam pignoris jure ab Ecclesia Colonienfi Hasius tenet) Palatino in Braubach, quod feudi titulo idem Hasius ab illo tenet. Atque hæc de Tribunali Imperatorio. Erant quoque & alia signa, quæ Imperatorem arguebant, in castris præsertim observata, recenset illa Stevvechius comment. in l. 2. Vegetii de re milit. c. 22. p. 184. Classicum scilicet & Prætorium. Probat utrumque ex Cæsare, qui l. 3. de bello civili de Pompejo loquitur. Scipionis milites cohortatur, ut partem jam victoriam præda ac præmiorum velint esse participes, receptisq; omnibus in una castra legionibus suam cum Scipione honorem partitum, classicumq; apud eum cani & alterum illi jubet prætorium tendi. Laudat Vegetium quoque dicentem: Hoc insigne videtur Imperii, qui a Classicum canitur Imperatore presente. Prætorium autem quid sit,

fit, & unde dicatur, & quam varia sit vocis acceptio, vide sis apud *Stevvechium ad l. 3. Vegetii c. 8. Gvid. Panciroll. l. 2. variar. lect. c. 191. it. l. 2. c. 154. & alios.* Quomodo autem & quo in loco exstruatur in castrametationibus, lege apud *Polybium l. 6. c. 25.* & addatur tabula, quam Polybio de castrametatione subijciendam curavit *Stevvechius*, ubi omnia ad oculum patebunt. Forſan lucem quoque ferent Polybio, ſi evolvetur Sciagraphia caſtrametationis Galbe apud *Stevvechium comment. in li. Veget. c. 8. & Joſephus l. 3. de bello Judaico c. 3.* ubi decentem ſtructuram caſtrorum Romanenſium deſcribit. *Media, inquit, Reſtorum tabernacula collocant, & inter hæc Prætorium, & inter prætorium templum ſimillimum. V. Calium Rhodig. l. 27. c. 14.* Fuerunt & multa alia inſignia Imperatorum, præſertim poſterioribus temporibus. cum Monarchia eſſet introducta: Sella, puta, Curulis & trabea, de quibus *Servius Romanorum*, inquit, *Imperatorum inſigne ſella fuit curulis & trabea, nam diadema, ut aliarum gentium Reges, non habebant.* Et ſciendum ſellam curulem à curru dictam, quod hi eam utebantur, qui triumphali curru veſti fuiſſent, ita ille in *l. 9. En. v. 334.* Et de trabeâ idem. Trabea fuit toga purpurea Regum, quæ aliquid albi mixtum habebant. in *l. 7. En. v. 612.* Talia inter inſignia referuntur chlamis Imperatoriæ; de quâ *Eutropius l. 9. c. ult. de geſtis Romanis* tradit, quod ante Domitianum Imperii inſigne in chlamide purpureâ tantum erat; reliqua verò communia. Tunica palmata, Paragaudæ (quæ erant ex ſerico purpureo auroque intexte veſtes vel tunicæ, vel palliæ) veſtes itidem auratæ; in id totum habitum, quem Roma olim triumphantibus tribuebat, ſibi quotidie vendicabant. Huc etiam ſpectat, quod ſoli Principes Encauſto ſcriberent, de quo multa ſanè retulit *Panciroll. in tract. de reb. memorab. l. 1. c. 2.* Addere etiam poteris calceos Imperatorios, & diadema ſ. coronam, quâ primus Imperatorum uſus eſt Romæ vel Julius Cæſar. vel Caligula ſecundum *Bullingerum l. 2. de Imper. Rom. c. 3.* Julius Cæſar. Et quæ alia hujusmodi, quæ omnia perſeque noſtri non eſt inſtituti cum civem atque urbem pleraque ſpectent, non caſtra,

non militem. Scripsit de hisce ex professo *Bulling. in tract. cit. de Imperat. Rom.* Clarissimus item *Guido Panciroli. Interpres lectionum vespertinarum in Gymnasio, Taurinensi & postea Patavino, in thes. var. lect. iuriscq. juris lib. i. c. 9.* Præterquã, quæ alii Autores passim scriptis suis inseruere. Romani verò Imperatores, qui militiæ stante Republicâ operabantur, non adedò luxuriosis vestibus incedebant. Sago induebant corpus, quemadmodum totus Senatus in Sago conspicietur belli tempore & omnis civitas. Hinc frequentissima Autoribus Latinis formula, *AD SAGA IRE, SAGA SUMI, ESSE IN SAGIS.* Cicero non uno in loco, & confecto bello *REDIRE AD TOGAM.* conf. *Brisson. de formulis l. 2. p. m. 259.* Intelligimus autem Sagum vestimenti militaris, genus ex lanâ crassiori, adeoque quod pinguior & inornatior erat vestitus, prout describit *Turnebus advers. l. 2. c. 27.* Sed Romani Imperatores, & qui exercitui præerant, coccinis utebantur Sagis, teste eodem *Turnebus l. cit. c. 16. ex Plutarchi Bruto.* Vide *VVolfgangum Lazium comment. de Rep. Rom. l. 8. c. 9.* Qui sagum facit & *Tarbecum & Virgarum aureum, purpureum, candidum, sibilatorium & russeum.* Penulâ verò, licet vestimentum esset militare, Imperatori tamen fas non erat uti. Testatur *Alex. ab Alex. Gen. Dier. l. 5. c. 18.* Hoc tamen circa vestitum Imperatoris notandum, Vestes ipsi ex publico suppeditatas esse. Sic enim Cicero: *Maiores nostri, inquit, neminem, qui cum potestate aut legatione in provinciam esset profectus, tam amentem fore putarunt, ut emeret argentum: dabatur enim de publico: aut vestem: præbatur enim legibus.* Neque prætereundum, quod nonnulli Imperatorum, quando cum hoste erat congregiendum in prælio, peculiari sint usi vestitu, quo à suis eò melius agnoscerentur. Sic enim *Cæsar de seipso l. 7. de bello Gallico p. m. 195. Accelerat Cæsar, ut prælio intersit, ejus adventu ex colore vestitus cognito, quo insigni in præliis nisi consueverat.* Sed nunc de armis quid dicam? Imperatorum Romanorum militum arma non tantum *Polybius* nobis recensuit, *l. 6. c. 20. & seqq. historiarum,* sed & *Josephus l. 3. de bello Judaico c. 3.* optimè tam peditum, quam Equi-

Equitem armatam describit. Neque vacat & figuram & materiam cuiusque explicare. Industriè hoc præstitit *Lipsius l. 3. de mil. Romanâ. Quem secutus est Pontanus Progymnasmat. l. 4. progymnasf. 22.* Hoc hic saltem prætereundum non est, Romanum militem ornamento armorum maximè studuisse, idq; præcepto Imperatorum: fulgebant auro argentoque scuta, poliebantur nitidissimè loricae, galeæ quoque cristis ornabatur. Hinc *Juvenalis*:

Argenti quod erat solis fulgebant in armis.

Sic *Suetonius c. 67. de militibus Caesaris: Habebat milites tam cultos, ut argento & auro politis arma ornaret. Et Plutarchus in Brutop. 1002. Numero quidem erat Caesaris exercitum minor, sed armorum nitore & splendore singulariter emicuit Bruti exercitus: erant enim ex auro militibus Bruti pleraq; arma. & præbitum in ea fuerat profusè argentum.* Et ex eodem *Plutarchop. m. 510. in vitâ Luculli: discimus, Romanos coriaceis tegumentis induisse arma sua; ne squalorem contraherent, quibus cum esset in conspectum hostium ad prælium progrediendum. exuebant. Rationem horum ornamentorum & mundiciei Autores reddunt triplicem. Refert *Polybius l. II. histor. c. 7. Philopemenem dixisse, splendorem armorum ad terrorem hostibus incutiendum vim magnam habere. Sed adhuc aliam allegat rationem Plutarchus in vitâ hujus Philopemenis p. 360. non hostium causâ indulgisse hoc militibus suis, sed ut delicias & luxum eorum inverteret, & cupidos elegantia desisteret ad honesta, necessaria. Sed neque spernendum erit consilium Bruti apud Plutarchum l. c. qui idem militibus decorata arma largienda scribit: quod apes, quas in manibus & circa corpus ferunt milites, acuant gloria cupidis pectora, avaros verò fortiores reddant, quod arma sicut possessiones retinerent. Idem existimavit Cæsar, ornavit milites simul & ad speciem, & quo tenaciores eorum in prælio essent metu damni. l. i. c. 67. Suetonius. Sed quorsum provehor? revocandus est stylus ad imperatorem nostrum. Non minorem credo cultum atque decenciam Imperatores Romani in armis suis adhibere; qualia**

erant Galea, Clypeus, Lorica & Ensis teste Cicerone orat. 37. in
Luc. Pison. Ita enim Plutarchus Lucullum nobis ostendit in eo
jus viri, p. supra cit. ἄρμα ἐξ ὀστέων, φορεῖ δὲ ζών, σινία καὶ κόψα,
quod habuerit lorica ferream, squammatam atq. resurgentem,
& paludamentum simbriatum. Et Virgilius picturam armorum
Æneæ & in iis varias descriptas historias recensens, ad idem
sine dubio respexit, sicut plerumque mores Romanorum se-
cutus atque affectus est, quod ex Servii annotatis, Autorum-
que aliorum explicationibus liquet. Ut nihil jam dicam, Ro-
manos luxum omnem deliciasque à Græcis accepisse (teste
Petronio) quorum Duces varia sapientiæ insignia in armis suis
exsculpta gerebant, testatur apud Homerum Ulysses, qui de
armis Achillis, quæ Ajax postulabat, ait:

*Necq. enim clypei certamina novit
Oceanum & terras, cumque alto sidere caelo
Plejadasq., Hyadasq.*

Postulat, ut capiat, quæ non intelligit arma.
conf. Georg. Hornius l. 3. c. 6. Hist. Philos. favet modò dictis Ste-
wvechius ad l. 1. c. 20. Vegetii. Ornare galeas horrendis hiantium
animalium formis, primùm ab Ægyptiis descendisse ad Græ-
cos, nam Ægyptiorum Reges in capite gerebant, tanquam
principatûs insigne, caput Leonis, Tauri, aut Draconis: Ab
Ægyptiis mutuati sunt Græci, à Græcis Romani acceperunt,
ut multa alia, quæ ad disciplinam militariæ pertinere videntur.
Quo ipso indicat æmulatores Græcorum Romanos fuisse.
Multa hic dici possent tam de ornamentis galearum apud
Lipsium l. 3. de milit. Rom. dialog. 5. Pauca addam, quæ Baribius
se observasse ex Autoribus gloriatur adversar. l. 35. c. 18. scribit:
*Veteres belli Duces non aliud magis ornamentum indebant galeis,
quàm caudas equorum, & l. 22. c. 14. Galea Veterum erant clausis,
quibus tegebant non tantùm caput, sed & faciem naresq., prout
hodiè Equites gestare solent. Sic enim Silium de Marcelli militibus
scripsisse*

renuatajacendo

Et maciem galeis abscondunt ora, malusque

Ne sit spes hostis, celatur casside pallor.

Addit ex *Statio Alcimo Avito Sidonio* plura fundamenta. Gestasse autem Duces Romanorum summos ejusmodi galeas cristis, vel alius formis animantium insignes, firmiter colligitur ex illo *Lucani l. 8. qui de Bruto in acie pharsalica versanti.*

Illic plebejâ contactus casside vultus

Ignotusq; hosti, quod ferrum Brute tenebas.

Ubi Brutum notat à communi habitu Imperatorum descivisse, & quasi insolens in Imperatore miratur. Picta quoque Imperatorum fuisse scuta, existimandum est, cum scuto puro, seu ut loquitur *Virgilius* albo uti inertium esset atque inglorium. Cæterum ensibus atque gladio armati erant Imperatores, non ex uno schematè patet. Et sicut pugio minorum erat insigne, ita gladius majorum Magistratum. Prius nos docet *Martialis l. 14. epigr. 32.*

Milivie decus hoc, & grati nomen honoris,

Arma Tribunicium cingere digna latu.

Et apud *Dionem* Trajanus Suram tribunitii honoris causâ pugione cingebat. Conf. *Adrian. Turneb. l. 12. c. 6. advers. Dempsterum ad Rosinum l. 10.* Queritur autem dextrane an sinistrâ corporis partè gestarint enses Imperatores? Controvertitur inter Autores hæc quæstio: memorat *Polybius l. 6. c. 21.* milites Romanos dextro lateri applicasse enses. Ita, inquit, *gladium ad dextrum femur fert* (miles); appellant *Hispanensem*, habentq; mucronem eximium &c. *Josephus* tamen *l. 3. de bello Judaico c. 3.* pedites utroque latere gladius cinctos fuisse, sed lævum fuisse multò longiorem, cum dexter mensuram palmæ non excedat. Equitibus verò ad dextrum latus gladium fuisse longiorem. Laborant Autores conciliare apparentem sine dubio contrarietatem; nam utrique sua constat autoritas. *Polybio* succurrit *Horatius lib. Epod. Odâ VII.*

Qui, quo scelesti ruitis aut cur dextris

Apræniur enses conditis.

Idem

Idem tot positæ Romanis statutz affirmant. Cum Josepho
facere dicuntur *Sidonius Panegyrico Anthemii & Aetianus Avi-*
anus l. 5. citatur à Barthio advers. l. 32. c. 22. Sed (quod pace
Doctorem virorum dixerim) cum Lipsius de Romanis agat
militibus, præter rem citat Sidonium, qui non de Romano
sed Gothico cultu agat, testibus tot Viris doctis, oblitus er-
go suæ fidelitatis Lipsius. Sed videbimus, quid hîc præstent
Autores. *Pontanus l. 4. progymn. 22.* existimat, tempora esse
distinguenda: florente Republicâ fuisse gladios minores, & ad
femur dextrum gestari solitos: desidente verò eadem, majores
factos & à sinistro latere, dependisse. Eadem quoque *Ste-*
wwechius in not. ad Veget. l. 1. c. 20. Sed parùm hîc proficiunt
Autores. Verû quidem est, sæpius mutasse Veteres arma, &
Celti (Gallos pnta Hispanos atq; Germanos, sic enim *Cluverus*
explicat) quoque initio in latere dextro gestarunt enses, quos
postmodum in lævum trajecerunt. *Cluverus in Germaniâ an-*
tiquâ l. 1. c. 44. Sed hæc nihil ad Andromachen nostram. Ob-
stat, quod *Lipsius l. 3. de milit. Rom. dial. 3.* tradit, se nummos
vidisse, coævos Polybio, in quibus gladius in sinistro militib;.
Sic quoque posterioribus temporibus in dextris gestasse, idem
confirmat, deprehendisse se in columnâ Trajani plerosque
militum cinctos pro prisco ritu dextros. Magis ergò Lipsii
sententia arridet, arbitrariam fuisse rem, prout alterutrum e-
rat convenientissimum, quam sententiam tamdiu probamus,
donec commodior suppeditetur. Sed quid si in re intricatis-
simâ prudens ignorantia consistatur. Gladii autem qualis
fuerit forma *Lipsius ibidem.* Addatur *Laurentii Pignori dia-*
ribe in Petron. existimantis mucrones gladiatorum in acumen
desisse, neque arcuatos juxta plerorumque sententias fuisse;
& hoc schemate, inquit, conspiciebatur antiquus gladius apud *La-*
linum Paschaliū Romæ, ut nos non ita pridem vidimus, & alii
multi. Hæc Pignori^o. Hic a gladius alligabatur cingulo vel bal-
theo cingulum enim dextro humero impositū obliq; ante pectus, &
post tergum ad sinistrum latus descendebat, cui in imo ensis alliga-
batur.

batur. Ita describit Pancirollus ex Notitiâ Imperii l. i. variar. lect. Juris c. 11. & de baltheo Isidorus, baltheus dicitur non solum quo cingimur, sed etiam à quo arma dependent. Etymol. l. 19. c. 33. Vela contrahenda sunt nostrâ dissertationis pedetentim. Igitur, quæ de cingulis atque veteri subnectendi gladios more dici poterant, vid. apud Dempsterum in not. ad Rosin: Cluverum item in Germania antiq. lib. 1. c. 44. Cum pauca subjecerimus de suppellectile Imperatorum, finem huic capiti imponere lubet. Certam autem suppellectilem Imperatoribus vel in Provinciam, vel in bellum euntibus dari consuevisse discimus ex Livio, qui dec. 3. l. 10. scribit. *Mansissa à Senatu decreta munera: sagula purpurea duo, cum fibulis aureis singulis, & lato clavo tunica, & equos duos phaleratos, bina equestria arma cum lorici: & tabernacula, militaremque suppellectilem, qualem præberi Consuli mos est. Quem suppellectilem nobis exhibet Calius Rhodig. lect. antiq. l. 27. c. 14.* Vasa argentea, annuli aurei, tentoria, lecti, famulitium, & caterva amicorum, quæ ex Cicero ne & Plutarchi Catone Majore hausit. Sigonius verò addit, mulos, vehiculum, aliaq; instrumenta militaria, quæ ad ornamenta Provinciarum spectant, esse tradita, eam ob causam, ne quid tale imperarent sociis. Sigonius lib. 2. de antiq. jure Provinc. c. 1. Et sic absolvimus caput hocce quartum. Sequitur

CAPUT V.

De

Potestate & Officio Imperatorum aliisque ad Imperatoriam dignitatem spectantibus.

UNICO hoc capite multa contrahenda sunt, & varia, quorum singula fermè singulum caput requirunt; & quæ commentario indigebant, leviter saltem tribus aut quatuor verbis tangenda, ne nimia prolixitate vim legibus atque consuetudini inferamus. Potestatem autem Imperatorum non absolutam, sed omninò dependentem legimus apud Autores. Graviter de hisce omnibus Polybius l. 6. c. 13. *Consul postquam imperium nactus, de quo diximus, in expeditionem fuerit profectus, videtur ille quidem absolu-*

E

1472

eam potestatem consociendi belli sibi demandari habere; ceterum & populi & Senatus ope sibi opus est: Nam cum legionibus semper submittendi sint commectus, sine sententia autē Senatus suppeditari neq; frumentum neq; vestis, neq; stipendia queant: si propositum Patribus fuerit, de industria cessare & conatibus obstare, omnino cadent in irritum Imperatorum consilia. Adhuc, ut incepta sua consilia perducere ad exitum Duces exercituum possint, aut non possint, in voluntate positum est Senatus. Nam ubi circumegerit se annus, demandandi provinciam alteri, aut prorogandi Imperii potestatem Patres habent: quin & partas bello victorias in majus extollere atq; amplificare, aut contra obscurare vel elevare idem ordo potest: triumphos enim pro dignitate agere, aut omnino ne agere quidem potest Imperator, nisi consenserit Senatus; & in eam rem pecuniam decreverit. Jam verò quoniam finiendi belli potestatem populus obtinet, hujus quoque consensu, licet domo absint quam longissimè, cum primis tamen illis est opus: Et quod longe maximum, ubi deposuerunt Imperium, eorum, que in Provincia gesserint, apud populum eis ratio est reddenda. Idcirco nec Senatum, nec benevolentiam populi contemnere sine suo periculo Consulibus ullo modo licet. Hactenus Polybii verba, prout interpretatus latinè est Casaubonus. Sed gravius adhuc & multò luculentius Cicero orat. 37. in L. Pisonem § 49. Exercitum eduxit e Syria; qui licuit extra provinciam? eribuit se mercenarium comitem Regi Alexandrino, quid hoc turpius? In Egyptum venit: signa contulit cum Alexandrinis, quando hoc bellum, aut hic ordo aut populus susceperat? Cepit Alexandriam: quid aliud exspectamus à furore ejus, nisi ut ad Senatum tantis de rebus gestis literas mittat? & paulò post (mitto exire de provinciâ) educere exercitum, bellum suâ sponte gere, in regnum injussu populi aut Senatus accedere? quæ cum plurimæ leges veteres, tum lex Cornelia Majestatis, Julia de pecuniis reperendus planissimè verant. Quo nomine credo factum est, ut Imperatores ante egressum, sive si mavis professionem communicarent cum Senatu. Livius l. 2. dec. 3. de Dictatore Q. Fabio Maximo refert, de bello deq; Republica ad Senatum retulisse, quibus, quotve legionibus victori Annibaldi obviam eundem esse Patres censerent, Formulam responsionis, quæ & alia huc spectantia docet,
ibi.

ibidem addit Livius. Respondisse, ut is à Cneo Servilio Consule exercitum acciperet, scriberetq; præterea ex civibus sociiq; quantum equitum ac peditum videretur: cetera omnia ageret, ut è Republicâ duceret. Communis hæc formula, quæ potestatem Ducibus & modum administrandi (nam jus administrandi per legem curiam datur) præscriberet. Non possum non adscribere verba Ciceronis, quæ habentur Philippicâ undecima §. m. 28. C. Cassius ex Italiâ profectus est; ut prohiberet Syriâ Dolabellam, quâ legem quo jure? eo quod Jupiter ipse sanxit, ut omnia, quæ Reipublicæ salutaria essent, legitima & iusta haberentur. §. 20. paulò exactius describit totam demandandi formulam. Cum P. Dolabella hostis populi Romani iudicatus sit, & Senatus P. Dolabellam bello prosequendum censuerit. Senatui placere C. Cassium Pro Consulẽ Provinciam Syriam obtinere, uti qui eam optimo jure obtinuerit, cumque à Q. Marcio Crispo Pro Consulẽ. L. Scauro pro Consulẽ, A. Plotio Legato exercitus accipere, eosq; ei tradere, cumq; his copiis & si quas præterea paraverit bello P. Dolabellam terrâ mariq; persequi, ejus belli gerendi causa quibus ei videatur, naves, nautas, pecunas, ceteraque quæ ad bellum gerendum pertineant, ut imperandi in Syriâ, Asiâ, Bithyniâ, Ponto, jus potestatemq; habeat, utq; quamcumq; in provinciam ejus belli gerendi causa advenerit, ibi majus imperium C. Cassii pro Consulis sit, quam ejus erit, qui eam provinciam tum obtinebit, cum C. Cassius pro Consul in eam provinciam venerit. Hoc modo autem concessâ potestate, quæ Imperator respondebat, vide apud Livium *dec. l. 6.* Egressi quoque & in provinciis versantes omnia consulto Senatu suscipiebant, cum ad Senatum scriberent se hoc vel illud aggressurum, si *ITA PATRIBUS, VIDERETUR*, Item *NISI QUID ALIUD IIS VIDERETUR*, in animo esse hoc vel illud. Item *SI PATRES ROMANI ITA CENSUISSENT*. Quibus vel Consilium à Senatu suppeditatum, vel satis honestè rescriptum, ageret quod è *REPUBLICA ESSE CENSERET*, faceret, quod è Republicâ fideq; suâ duceret, seu quod Republicæ expedire judicasset. Exempla tum postulati, tum responsi vide plurima à Briffonio collecta *l. 2. de formulis p. 218. 219.* Memorat quoque Livius Camillum (qui summus erat Imperator) profectum esse Romam, ut

Senatum ad excindendum Antium hortaretur. Disce, qualis
Imperatorum potestas fuerit. Sic etiam apud *Livium* l. 8. non u-
no in loco, aliosq; Autores videre est Romanos Imperatores po-
testatem iniendi pacem cum hostibus non habuisse, sed quoties
postulabatur, Romam erant ablegandi postulatores. Sic Samni-
tes à Papyrio Dictatore pacem petentes ad Senatum ire jubentur.
Idem in bello cum Privernatibus factum, quæ omnia limitatam
Imperatorum potestatem arguunt. Nihilominus tamen summa
erat atq; maxima: *ubi nulla provocatio, neq; ullum usquam nisi in
curâ parendi auxilium, uti loquitur Budeus citante Wilhelmo Gode-
levæo annot. in lib. 3. Livii.* Hæc verò potestas penes unum tantum
erat, nam plurimum imperium in bello semper inutile judicantur.
Quare & Consules Romani, si uterq; in castris esset, alternis die-
bus imperium obtinebant: quod *Stewechius in comment. ad lib. 2.
cap. 9. Vegetii observat ex Livii lib. 31. dicentis. Id verò indignum
visum ab tumultuario auxilio, jam etiam castra Romana terri, ut
ex modo una causa, ne ex templo transirent flumen, tenuerit Romanos,
quod summa imperii eo die penes Paulum fuerit. Itaq; Varro postero
die, cui fors ejus diei imperii erat, nihil consulto collegâ, signum propo-
suit. Quod Luculentius adhuc ex Polybio: Proximo die Terentius,
ejus imperium tunc erat, (moris enim habent populi Romani COSS.
alternis imperare) motis castris, multum obrestante & renitente col-
lega, propius hostem accedit. lib. 3. c. 110.* Sed jam videndum in quo-
nam consistat hæc potestas Imperatoria, & quid Imperatorum
fuerit officium. Docet hoc Polybius lib. 6. *Histor. c. 10. Belli ador-
nandi, gerendi, & omnia quæ ad expeditionem pertinent administran-
di potestatem propemodum absolutam habent Consules. Nam & au-
xiliaribus sociorum copias imperare quid visum fuerit, & Tribunos
militum constituere, & conscribere exercitum, & delectus agere Con-
sulibus licet. Accedit & id quod jus animadvertendi habent, in quem-
cunque voluerint ex omnibus qui belli ipsis parent.* Explicanda hæc
porrò sunt, & ex aliis Autoribus illustranda. Et quidem initio
videndum de Tribunis militum, cum non semper creandi pote-
stas penes Imperatorem fuerit. Principiò equidem creati sunt ab
Imperatoribus tantum in singulas quaternas legiones terni, ut ef-
fent

sent duodecim. Post autem Anno urbis trecentesimo, nonagesimo primo (Lipsius Anno, 393.) institutum, ut pars eorum populi suffragiis, pars Imperatorum arbitrio crearentur; quorum illi dicebantur Comitiiati, hi Rufuli. Probat hoc ex Livii l. 7. Sigonius lib. 2. de antiq. jure Prov. c. 2. Cum eo anno, inquit, primum placuisset, Tribunos militum ad legiones suffragio fieri: (nam & antea, sicut nunc, quos Rufulos vocant, Imperatores ipsi faciebant.) Torquatus secundum in sex locis tenuit, Liv. l. 7. citat & hæc verba Lipsius l. 2. de milit. Rom. dialog. 9. Sed quam litem ibidem movet Sigonio non facimus nostram, cum non de numero creatorum sed de juris creandi competentia quaestio à nobis instituatur. Sed quod pace tum M. Lipsii, tum eruditissimi Sigonii dictum sit, non videtur mihi Livius tam loqui de iis Tribunis militum, qui à Consule eligebantur & Rufuli dicti sunt, sed de iis, qui suffragio militum in castris fiebant, & suffecti appellabantur. nam & hosce, ad legiones factos, expressè distinguit ab iis qui à Consulibus creabantur. Meminit autem Tribunorum suffectorum Stewechius in notis ad Vegetii lib. 2. c. 7. itemq; Alexand. ab Alex. l. 6. c. 18. Genial. dierum. Quicquid autem sit, certum est elegisse Consules & Imperatores Tribunos militum qui Rufuli dicti, mox verò Rutuli, quod nomen à Rutilio Rufo, qui de jure Consulum creandi Tribunos legem tulit, Quæ Rutilia dicitur. Verum mox omnis eligendi potestas imperatoribus adempta est, atq; in populum derivata. Anno Urbis 442. (vel ut alii 444.) cum Lex à L. Attilio & C. Marcio lata est (dicta lex Attilia Marcia) statuens, ut Tribuni militum à populo crearentur, quæ ante Consulum & Dictatorum erant beneficia, Quod jus penes populum semper deinceps resedit. Bello equidem Persico, anno sc. 522. Licinio Crasso, & Cajo Casio Longino Consulibus, lex lata est Licinia Casia: Ne Tribuni militum eo anno populi suffragiis crearentur, sed Consulum Prætorumque in iis faciendis judicium arbitriumq; esset. Ita Liv. l. 42. Idem tamen mox testatur, sequenti a. non permissum, ut Tribunos militum Consules facerent, sed populum creasse. Obtinuit etiã hæc consuetudo tempore Julii Cæsaris qui Romam reversus Tribunatum militum per populi suffragia accepit. Sueton. l. 1. c. 5. Posterioribus verò tem-

poribus ad Imperatores solum hoc jus pertinuit. *Vid. Sigonius l. 2. de antiquo jure provinciarum c. 2. Alex. ab Alex. l. cit. Lippius l. cit. Stewechius ad Vegetii locum citatum.* Jam secundum, quod Imperatoribus conveniebat atque tribuitur à Polybio, est jus conscribendi exercitum. Nota hic Imperatores vel accipiebant exercitum veterem à decessore suo in provinciâ, aut novum conscribebant. Illius testimonia plurima apud Livium, & ex iis patet, quæ supra ex Cicerone citavimus. Accepere autem vel à præside ipso, vel ab ejus Legato. Quod si verò novus conscribendus exercitus, solemnis dilectus institutus est in Capitolio eo modo, quem Polybius tradit, *lib. 6. c. 17. & seq.* quæ longiora sunt, quam ut hic transferri queant. Adde *A. Gellium lib. 16. c. 4.* qui formulam sacramenti militaris & jurisjurandi ex *Cincii lib. 5. de re militari suppedicat.* Delectus enim quando instituebatur, aut conscribebantur milites à Tribunis militum sacramento constringebantur, & quod posterioribus temporibus quoque consuevit, in jusjurandum adigebantur. Et qui Sacramento non tenebatur, etiam si in castris & exercitu versaretur, non habebat jus interficiendi, imo ne vulnerandi quidem hostem, nisi singulari privilegio ab Imperatore impetrasset. Ubi restatur *Plutarchus in quasi. Rom. p. m. 273. edit. Francofurt. Anno 1620. in folio.* Delectus verò & qui nomen sacramento dederant, albo militari inferebantur, & quidem eo ordine, quo quis prior erat lectus aut nomen professus, & qui secundus, hunc sequebatur, sicq; deinceps. Discimus ex *Evagrii hist. l. 2. c. 1.* ubi ait de Marciano, cum, ut in militum numerum adoperaretur, peteret, non ultimo loco scriptum est nomen (ὄς ὁ σπαρταριστὴν ἔδειξεν ὄνομος) sicut lex postulabat militaris) sed penè inter prima relatum, & loco illius Ducis interfecti, cujus necis antea reus accusabatur, & à crimine singulari Dei miraculo liberabatur. Quæ inscriptio sine dubio idè facta est, ut nomina militum eò melius memoria retineret Imperator. Requirebatur enim ab Imperatore vel Duce ut sciret (quantum potest fieri) nominatim, quis comes, quis Tribunus, quis domesticus, quis contubernalis, quantum quis possit in bello *Veget. l. 3. c. 10. de re militari*, imo omnium militum nomina, quæ scientia Orthonem ad Imperium

evexit.

evexit, aliosq; in gratiâ quàm maximè posuit apud milites. *Videatur Stewechius in notis ad locum citat. Vegetii.* Non possum intermittere quin adscribam ex *Isidoro l. 2. Orig. c. 23.* morem quendam Veterum exercitus Imperatorum; ut scirent, qui occubissent, qui evasissent in acie. In breviculis militum nominibus defunctorumq; superstitum à prælio ꝛ. literam adscripserunt veteres, citat *Isidorum Mich. Meisnerus Syntagmate super adnotam Philologorum.* Sed disputatur inter doctos, an hæc Isidori satis sincera? *Lipsius lib. de rectâ pronuntiat Bucina: ling. c. 14.* putat pro ꝛ esse scribendum ꝛ quæ prima litera sit in voce *Virus*; cui etiam subscribit *Meisnerus citatus.* Sed falsam hanc esse mentem probat *Reinesius l. 1. variarum lectionum. c. 7. Janus Ruyersius l. 5. var. c. 17. lectionem Isidori defendere conatur.* Sed & hujus mentem atq; glossam rejicit *Reinesius* existimans: corruptum quidem esse *Isidorum*, ita tamen ut loco ꝛ *Ϝ* *Ϝ* *Ϝ* irrepletit *T.* cum utraque litera cornubus quasi sit insignita, & figura non adeò differat, esse autem illud ꝛ à Græcæ vocis *Ϝ* *Ϝ* initiali literâ. *Vid. omnino Reinesium loco citat.* nos conjecturas conjecturantibus relinquimus, cū nihil certi haberi possit, sufficiat recitare quæ ad scopum nostrum faciunt. Sed ita in legitimâ consuevit militiâ, nam & alius erat præter hunc mos cogendi exercitum, qui subito in tumultu obtinuit & cum singulos interrogare non vacabat. *Tunc qui ducturus erat exercitum ibat ad Capitolium, & exinde proferens duo vexilla, unum roseum, quod pedites evocabat; alterum caruleum, quod equitum erat (nam caruleus color maris est, à cujus Deo equum constat inventum) dicebat, qui Republicam salvam esse vult, me sequatur, & qui convenissent, simul jurabant & dicebatur ista militia conjuratio.* *Servius comment. ad l. 8. Aeneidos initium statim.*

Conscriptis verò militibus dies indicabatur certus ab Imperatore, quo in campo Martio conveniebant, tunc ordine disponebantur prout sapius laudatus *Polybius* memorat, ubi hoc per religionem (ut loquitur *Lipsius*) observatum, ut primus miles boni nominis esset, captabant enim exinde omen, *Festus, Lacus, Lucrinus in vestigialibus publicis primus locatur eruendus (Lipsius correxit, fruendus) omnis boni gratiâ, ut in delictu censure primi nominantur*

Valg-

Valerius, Sabinus, Statorius. Videatur Cic. lib. 1. de divin. §. 102.
Item Lipsius in notis ad Tacit. l. 4. histor. p. m. 526. Ordines quo-
que cuique ministro vel praefecto assignare Imperatoris erat.
Probat hoc Sigonius & Lipsius lib. 2. de milit. Rom. d. al. g. 8. ex lo-
co quodam Livii libro 42. Ubi scribit: Consul deprecatus est Tri-
bunos plebis, ne prohibeant se, quem cuique ordinem assignari è Repu-
blica esset, eum assignare. Adhibebat autem ministerium Tribu-
norum militum. Idem Sigonius ex Livio lib. 2. de antiquo jure
provinciarum. cap. 2. pag. 278. Lustrare quoque exercitum Impe-
ratoris erat munus. Cic. in lib. de divin. §. 102. Cum Impera-
tor exercitum, Censor populum lustrat, bonis nominibus, qui hosti-
as ducant, deligantur. Erat autem lustratio solemnè sacrifici-
um, quod faciebant sub dio ad lustrandum seu expiandum exer-
citu, quod ante deductionem peragebatur, imò ferè quoties
cum hoste erat congregiendum. Vide Plutarchum in Bruto page
1001. Dionem lib. 47. p. m. 352. & 353. Imperat. animus, ut for-
mam lustranda clasiss Romanam ex Appiani lib. 5. p. m. 427. de
bellis civil. adscribam. Ubi Caesar hunc lustravit in modum.
Altaria stant in extremo littore undis alludentibus, na-
ves plene classariis ordine circumstant cum altissimo silentio:
sacrifici stant in mari mactant victimas, moxq; in scaphis
ter circum classem lustramina circumferunt, navigantibus
una & Ducibus, comprecantibusque, ut in ea lustramina à
classe avertantur infausta omina. Divisis deinde lustra-
libus visceribus partem in mare projiciunt, partem adolent
in altaribus fausta ominant multitudine. Hoc modo Ro-
mani classes suas lustrare solent. Hæc Appianus de lustrat.
Romanorum. Denique addit Polybius Imperatorem jus animad-
vertendi habuisse in quemcunque sibi parentem. Imò omnis in
castris exorta lis ab Imperatoribus judicabatur. Sic enim Juvena-
lis Satyra ultima:

Legibus antiquis castrorum, & more Camilli
Servato, miles ne vallum litiget extris
Et procul à signis &c.

Plura

Plura in hanc rem possent adduci testimonia ex Gellii l. 7. c. 1. Livio, Cesare, alijsq. Sed ne actum agamus, videatur Sigonius l. 2. de antiquo jure provinciarum c. 6. item de jure civium Romanorum l. 1. c. 15. Valerius Maximus ubi agit de disciplina militari. varia etiam adducit exempla animadversionum militarium: Nam sicuti Imperatoris erat probe observare militum mores qui tanta ipsi cura erant, ut in numeris singulorum nominibus notam morum apponerent (Casaub. ad Suetonium docet) ita & horum erat, supplicia & penas decernere, præsertim vero disciplina militaris rigida laudatur. Sic enim Vegetius l. 3. c. 10. Imperator auctoritatem maximam severitate sumat, omnes culpas militares legibus vindicet, nulli evanitiū credatur ignoscere: Exsecutio verò centurionibus demandabatur. Et in hunc finem vite insigniebant. Tacitus l. 1. Annalium p. 16. & vitis signū erat Centurionis, ut quoties Centurionem significare velent, imaginem vitis in summo recurvæ G scribebant. Sic enim Guido Pancirollus in marmore Romæ invenit, videatur ejusdem thesaurus variarum lectionum l. 1. c. 1. videatur de suppliciis militaribus Sigonius l. 1. c. 15. de jure civium Rom. Alexander item ab Alexandro, & ejus Scholiastes Timævellus (quem omniscium dixit Dempsterus, an satis piè ignoro) Stewechius quoque ad Vegetium. Jus verò dicebat Imperator, damnabat & absoluebat vel adhibito consilio bellico, vel solus. Erat enim Consilium castrensis quasi quidam senatus, ex Senatoribus, si qui in castris, alijsq. idoneis viris constitutis, Sicut Sigonius loco citato describit, quæ descriptio ex Salustio desumpta. Metellus prope-re cunctos Senatorii ordinis ex hibernis accersiri jubet; eorum & aliorum quos idoneos ducebat consilium habet. Ita more majorum ex consilii decreto per legatos Jugurthe imperat argenti pondo ducenta millia. Quæ verba sunt Salustii. Juvat etiam adscribere quæ Livius habet, cum de Scipione, penas de seditioso exercitu apud Sucronem repetente. scribit: Praconis audita vox, citantis nomina damnatorum in consilio, nudi in medium proturbabantur, & simul omnis apparatus supplicii expromebatur. Deligati ad palum virgisque, cæsi & secure percussi. & hæc de potestate Impera-

G

toris

toris dicta sint. Ubi & hoc notetur, quod praeditus tali potestate urbem statim exire teneretur; parum enim tutum civili libertati habebatur, esse cum potestate habendi exercitum in urbe. Egrediendum ergo, & cum imperio manere ad urbem jubebatur Imperator saepius senatus consulto. *Briffonius l. 2. de form p. m. 260.* Observa tamen licet senatus consultum jusisset exire, tribunos tamen plebis, ne irent, edicto impedire aut dirarum obnuntiatione prohiberi iter potuisse. *Sigis- mus l. 2. de antiquo jure provinciarum c. 4.* Ad urbem autem mansisse per aliquot dies disertè Dio scribit de Pompejo. Pompejus populo extra pomerium evocato (nec enim pro Consulare jam habens imperium poterat urbem ingredi) multa pro Gabinio locutus est. Nota hic quod dicat Dio; non poterat urbem ingredi; ingrediens enim urbem Imperator imperium amittebat. Dio l. 54. in fine. Augusto decretum perpetuum Imperium Proconsulare, ita ut nec si intra urbem venisset deponeret, aut renovando opus ipsi esset, *ἀναίετος δὲ τὸν δεξιὸν renovare imperium oporteret.* Sic Livius l. 26. Quinto Fulvio, ne minueretur imperium, si in urbem venisset, decrevit senatus. Huc etiam spectant verba Taciti lib. 3. *Annal.* Drusus urbe egressus repetendis auspiciis mox ob- vans introiit. Quae ut eò melius intelligantur, scias velim, Imperator Romanus quoties ex bello redibat aut urbem ingrediebatur privatus, aut si de triumpho cogitabat, ad urbem morari solebat. Quod si triumphum impetrasset, tum, quoniam triumphare sine exercitu non poterat, exercitum autem habere sine imperio non licebat, imperium autem militare in urbe non concedebatur, propterea lex ad plebem, de imperio ejus diei ferebatur, quo concedebatur, ut eo die integrum etiam in urbe esset imperium. Quod si verò quis ante hanc legem ingressus esset urbem, sicut Drusus hoc loco ob mortem fratris amisit imperium, tum si ovare vel triumphare vellet solemniter urbem egredi, & ad exercitum redire tenebatur, quod repetere auspicia vocabant. *Vid. Lipsius ad hunc locum Taciti p. m. 138.* Sed cum de egressu Imperatoris ex urbe mentio sit facta, & hujus egressus solemnitas leviter erit tan-

gen-

genda. Constitutus Imperator conscripto exercitu, antequam urbe exiret, Capitolium ingrediebatur; sacrificium faciebat, suscipiebat vota, tum pro exercitus totiusque Reipublice incolumitate, tum pro propria salute & felici belli exitu; Quemadmodum ubique & quoties congregiendum erat cum hoste, solitus fuit. Pollicebantur vota Diis, Aedes, ludos, templa, vide quæ hic invitâ voluntate prætereo *apud Brissonium de formalis l. 2. p. 209. & i. Sigonium l. 3. de antiquo Jure provinc. c. 6.* partem quoque ex prædâ vovebant. *Servius in comment. ad Virg. lib. 3. v. 231.* Sed voventes Imperatores lavatis id faciebant & purificatis manibus. *Plutarchus in Mario p. m. 420. Virg. lib. 9. Æneidos.* Deinde ingrediebatur Martis templum movens primo ancilia, mox hastam ejus hisce verbis: *Mars vigila.* *Servius ad lib. 8. Virg. lib. 8.* Fuit autem sub Principibus mos (si *Strevectio credimus ad l. 1. Veg. cap. 6.*) ut dies expeditionis publico indicto indicaretur. Sic Imperator Alexander Severus in expeditionem bellicam exciturus, dies itinerum publicè proponebat, ita ut edictum penderet ante menses duos, in quo scriptum erat: *illo die, illâ horâ ab urbe sum exiturus, & (si Dii voluerint) in primâ mansione mansurus, deinde per ordinem mansiones, deinde stativa, deinde ubi an nona esset accipienda: & id quidem eo usq; donec ad fines barbaricos veniretur, jam enim inde tacebatur.* auctore *Lampridio in ejus vitâ.* adscribo hæc occasione quod ex *Vulcatio Gallicano in vitâ Avidii Cassii observavi.* Si quid esset publicandum exercitui, edicebatur ad signa, & programmata in parietibus figebantur. Eo autem die, quo exercitus erat movendus, atque urbe egrediebatur Imperator. *Questorem* jus sit quoque signa militaria ex ærario proferre, nam ibidem pacis tempore custodiebantur *Liv. lib. 7. Cum omnes extra portam Capenam, ad Martis aedem convenire armatos juniores jusisset, signaq; eodem ex ærario Questores deferre.* Egrediens autem Imperator, magnâ ducentium atque prosequentium frequentiâ comitabatur: *Liv. lib. 42. P. Licinius Consul votis in Capitolio nuncupatis, paludatus ab urbe est profectus. Semper quidem ea res cum magnâ dignita-*

te ac maiestate geritur: precipue tamen convertit oculos animasque,
cum ad magnum nobilemque aut virtute aut fortuna hostem eunt enim
Conselem prosequuntur. Contrahit enim non officii modo cura, sed
etiam studium spectaculi, ut videant Ducem suum, cuius imperio con-
silioque summam Rempublicam tuendam permiserunt. Vide Cic.
Orat. in Pisonem. Annotavit quoque Turnebus l. 23. advers. c. 6.
ex illo Propertii, quod est lib. 4. Eleg. 3.

Omni bus heu portu pendent mea noxia vota.

Qui militatum ibant, inquit, eorum uxores aut propinqui vota in
portu urbis suspendere, id est, suspensa tabella voto obligare se inter-
dum solebant, reditum optantes & cernantes, & iis reductibus vo-
ta solvebant, que suspensa tabella susceperant illi portu, per quam
redibant, quod itidem probat ex eodem Propertio ibidem.

Arma, cum tulero porte votiva Capena,

Subscribam, salvo grata puella viro.

Sue currit Turnebo Plutarchus qui & Veteres vota pro Impera-
toribus fecisse scribit. Educturus a. ab urbe vel ex urbe exercitus
Imperator dies fastos atque nefastos observare necessum habu-
it, alios ut mittamus authores; ita de hac re Plutarchus. Die-
bus postridie Kalendarum Nonarum atque Idus, neque educere exer-
citus, neque exire aut peregrinare licebat. Plutarchus in quest. Ro-
manis. p. m. 269. 270. ubi causam quoque indagare hujus religi-
onis conatur. Eadem religio in aggrediendis preliis obser-
vanda Imperatori. Huc etiam spectant que prolixè Macrobi-
us l. 1. c. 16. p. m. 329. Saturn. Preliaves, inquit, dies sunt, quibus fas
est res repetere, aut hostem laceßere. Nam cum Latiare, hoc est,
Latinarum solenne concipitur: item diebus Saturnaliorum, sed &
cum mundus patet, nefas est prelium sumere, quare nec Latinarum
tempore, quo publicè quondam inducia inter Romanum populum
Latinosque firmate sunt, inchoari bellum decebat: nec Saturni fe-
sto, qui sine ulla tumultu bellico creditur imperasse: nec patente
Mundo, quod sacrum Diti Patri & Proserpina dicatum est: meli-
usque occlusa Plutonis fauce, eundem ad prelium putaverunt. Unde
& Varro ita scribit. Mundus cum patet, Deorum cristium at-
que inferum quasi Janua patet. Propterea non modo prelium

cern-

committi, verum etiam delectum rei militaris causa habere, ac mi-
litem proficisci, navem solvere, uxorem liberum querendorum cau-
sa ducere, religiosum est. Vitabant Veteres ad viros vocandos
etiam dies, qui essent notati rebus adversis. Vitabant etiam feriis
sicut Varro in *Augurum* libris scripsit in hac verba: Viros vocare
feriis non oportet: si vocavit piaculam esto. Scendum est ta-
men eligendi ad pugnandum diem Romanis tunc fuisse licentiam,
si ipsi inferrent bellum. At cum exciperent, nullum obstitisse di-
em, quo minus vel salutem suam vel publicam defenderet dignita-
tem. Quis enim observationi locus cum eligendi facultas non su-
perfit? Dies autem postriduanos ad omnia majores nostri cavendos
putarunt: quos etiam atros velut infausta appellatione damnarunt.
Sic ergo sacrificio in capitolio facto, votis rite nuncupatis, in-
ter tubæ clangorem vota precesque prosequentium in bellum
ibat Imperator, & post eum exercitus relictis domi & liberis &
uxore. Sicut enim nec militi, ita nec Imperatori fas erat
ducere secum vel in Provincias, vel in bellum uxorem, veta-
batur id *Lege Oppiâ*, quæ tamen Lex postmodum antiquata le-
gitur atque intermissa. Reducere quidem atque revocare co-
natus est eam *Soverus Cæcina*, qui quadraginta Magistratus in
Provinciis administrat, & uxorem semper domi reliquerat,
allegans incommoditates ex uxoris societate pervenientes:
pacem, inquit, luxu, & bellum formidine morantur, multaque il-
licita viros agere cogunt, ac plura ipse ambitiosè agunt (addi pot-
est ex *Dempstero ad l. 10. c. 12. Rosinigen*º fœmininũ sexus ingenio
in avaritiam proclives esse, hinc verendum erat, ne virum ava-
rum redderet vel provinciarum expilatores,) Verum non ob-
stitit Cæcina, obstitere *M. Valerius Messalinus* & *M. Messa-
la Filius Corvini* Nepos dicens, hæc ratione fenestram aperiri
nonjugibus adulterii: sicut hæc *Tacitus* refert l. 3. *Annab.* Et ve-
ra est hæc ratio; tot enim Imperatorum fœminæ notâ adulte-
rii laborarunt, ut vix adscribere vacet: vid. *Dempstero* l. citat.
confer *Guidi Panciroli l. 2. c. 14. Thesauri var. lect. Juris.* Nos re-
lictâ Imperatoris conjugè, Imperatorem ipsum sequamur, e-
untem vel in provinciam vel hostibus occurrentem. Ubi

quæ in itinere omnibusque expeditionibus cogitare Imperator, quibusque studere debebat invenimus apud *Vegetium de re militari l. 3. c. 9. 10. 11. & sequentibus*, qui in toto hocce libro tertio artem Imperatoriam scientiamque militarem eleganter explicat. Inò verò hoc ipsum totâ cogitatione agendum erat ne fortuna publica, ne Majestas Imperii minuatur. Quod verò quomodo fiat *Zasius in catalogo de lege Julia Majestatis e-rudité explicat*, qui videatur. Ingressus verò iter Imperator præsidem Provinciarum, cui succedebat, ex itinere de die sui adventus certiores faciebat, commendans se provinciæ libus, quia inopinata plerumque animos turbant. *Sigonius l. 2. de antiquo jure Provinciarum c. 4.* Cum verò duplicem personam præsidem provinciarum sustinerent, Magistratus pariter atque Imperatoris duplici quoque defungebantur munere, jurisdictione civili & administratione rei bellicæ. Quare hyemem prætoris cognitioni, æstatem expeditionibus militariibus impendebant. Docet hoc *Cicero in literis ad Atticum. Erat mihi in animo rectâ proficisci ad exercitum, æstivos menses reliquos rei militari dare, hybernos jurisdictioni. Idem ad Calpurnium scribens, mihi erat in animo, quoniam jurisdictionem conseceram, proficisci in Siciliam Nonis Maij, & cum primùm æstiva atque rigorem, militaremque rem collocassem, decedere.* Scribit hæc similia *Hermannus Hugo l. 4. c. 3. de re militari Equestr.* Nunquam eduxisse Romanos Imperatores ante exercitum, quam frumenta essent matura, scilicet ut equis pabulum suppeteret. Nunc ut ad ipsa castra, in quibus exercitus retinebatur, defendamus, operæ erit pretium. Quæ Romanis observata fuit castra metatio ex *Polybio supra citavimus; & quæ Imperatori in constituendis delineandisque castris observanda sunt, ex Vegetii l. 1. c. 21. 22. 23. seqq. peti possunt item lib. 3. c. 8.* Ponere locum congruum & salubrem castris, describere eorundem formam, curare ut castra muniantur; communem nonnuncquam ut *Marius Romanus, Imperatorque Antoninus*, in du-cendis fossis laborem præstare, opera militum circumire, ut *Cæsar; quod aliàs Tribunorum militum erat; disciplinam*
mili-

militarem administrare; atque intra legum, intra castrorum
cancellos militem retinere. Quæ omnia *Vegetius & Steuech.*
ad l. 3. ejusdem c. 8. Spectabat quoque ad Imperatoris munus
tesseræ dare vel in vigiliis castrensibus vel in prælio, quod *Ve-*
gerius l. 3. cap. 5. de re militari. In vigiliis vel prælio pro signo dici-
tur: utpote victoria, palma, virtus, Deus nobiscum, Triumphus Im-
peratoris, & alia, quacumq; voluerit dare is, qui in exercitu summam
habet potestatem. Sic & *Appianus l. 5. de bellis civilibus.* Tum *Lucius*
inquit, *Tribunos misit, ut tesseram à Cesare acciperent.* Illi accu-
lerunt ei matriculam, sicut hodieq; mos est, cum *Tribunus* peti tesse-
ram, *Regi* offerre præsentem numerum in libello *Diario.* Reliqua de
tesseris militaribus notanda in præsentiarum mittimus. Se-
quamus etiam Imperatorem nostrum in prælium. Spectat
certè ad artem Imperatoriam ordinare peritè exercitum, di-
sponere justè militem, contrahere & pro re natâ extendere
phalanges, in cuneum cogere, vel agere in globum in gyrum
legiones; prout fortuna belli anceps postulat; locum quoque
eligere convenientem; aut si minus ex sententiâ arte mutare,
omniumque hostiam conatus eludere, hæc inquam; Impera-
toris quidem sunt, sed hoc loco prætereunda; nam hæc
omnia si ex Autoribus observata huc apponere liceret, com-
mentarium conscribere integrum, non dissertationem bre-
vem videremur. Hoc quod omnibus in propatulo est, adji-
cimus: Imperatores, quoties congregiendum cum hoste e-
rat, vocarunt *AD ARMA. AD SIGNA.* Sic apud *Livium l. 9.*
Fabius Dictator, Ferte signa in hostem. Sic *Valerius Consul* in
oratione suâ apud *Livium lib. 3. se vocare omnes Quirites ad AR-*
MA. Sic apud eundem *l. 6. Camillus: INFER MILES SI-*
GNUM. Erat etiam alia vox militaris Imperii. *SE QUERE*
IMPERATOREM. apud *Cesarem l. 1. comm. de bello Civil. Crassimus*
evocatus *SEQVIMINI ME,* inquit, *Manipulares mei qui fui-*
stis, & vestro Imperatori, quem constituistis, operam date. Item
signa ferri & vasa colligi imperare solebat *Dux. Cesar l. 1. de bel-*
lo Gallico. Nonnulli etiam *Cesari* renuntiabant, cum *CASTRÀ*
MOVÈRI ac SIGNA FERRI juberet, non fore dicto audientes
mili-

militēs, vide de hisce omnibus multa exempla apud Briffonium
l. 4. de Formul. Sed nolo id prætermittēre, quod Lipsius nobis
ex antiquitate erutum donavit, comment. ad lib. 1. Annalium,
quoties prælio adoriendus erat hostis, signum pugnae futurae
vexillum purpureum fuit, quod servabatur in Prætorio seu
tabernaculo Imperatoris, quia illi solius erat atque arbitriū
proponendi, hoc ergo ab Imperatore pridie ante vel supra
prætorium admonitio instantis pugnae poni consuevit. *Cæsar*
l. 2. Belli Gallici. *Cæsar* omnia uno tempore emnt agenda. *vexillum*
proponendum, quod erat insigne cum ad arma concurrere oporteret. I-
tem de bello civili: Sequenti die, cum Cæsar iter facere vellet, renun-
ciatum est à speculatoribus, Pompejum de tertiâ vigiliâ in acie ste-
tisse. Hoc nuncio allato vexillum proposuit. Consuevit quoque
Imperator ante conflictum cohortari militem, animumque
verbis erigere, ut se viros præstent, fortes atque animosos. U-
bi moris erat blandè eosdem compellere, commilitones di-
cere, officia affectus sui prolixè contestari, fortitudinis pri-
scæ admonere, & quæ hujusmodi, quibus ex tot orationibus
ab Autoribus notatis integræ paginae repleri possent. Suf-
ficiat nobis testimonium *Ciceronis Philippicâ quartâ. Faciam,*
inquit, ut Imperatores instructâ acie soleant, quanguam paratissi-
mos milites ad præliandum videant, tamen adhorantur, confer-
Cæsar. l. 2. de bello Gallico & lib. 3. de bello civili Fugientes verò
militēs in prælio consistere jubebat. Sic enim Cæsar. l. 3. de bel-
lo civili fugientium signa manu prehendit, & consistere iussit. Hæc
omnia tanquam ad Imperatorum officium spectantia confi-
gnarunt literis illi, qui res gestas Romanorum stylo illustra-
runt. Cui & hoc accedit, quod Imperator confecto prælio,
& victoriâ obtentâ, Militēs publicè commendare, eorum for-
titudinem laudibus ornare, atque navatam operam ad cælū
extollere solitus fuerit, cuius rei multa apud Autores vestigia
extant. Donis quoque militem impertiebatur Imperator, hæc
ferè formulâ, *Imperator Te argenteis armillis donat. Vid. Valer.*
Max. l. 8. c. 14. Militēs verò contra Ducem suum titulo Impe-
ratoris decorabant. Quæ cuncta vide apud Briffon. l. 4. de for-
mulis

multis militaribus, p. m. 349. & 350. Monet animus; ut cum Imperatore jam ad urbem redeamus: Confecto bello, caesis hostibus Imperator, seu Praeses Provinciae domum redibat, & ad urbem, (tradito successori exercitu, confer Sigonius de antiquo jure Provinc. l. 2. c. 9.) At si triumphum aut ovationem non peteret, sine mora urbem ingrediebatur. Sic enim Cicero l. 7. ad Att. Ep. 7. cum spem triumphi abjecisset: Utar ea porta quam primam videro. Et lictoribus extra portam in promptu erant togae, quibus paludamenta mutabant teste eodem Cicero. Si vero triumphum petere animus erat, ad urbem extra portas commorabatur. Iterum Cic. l. 7. ad Att. Epist. 1. Mihi valde placet de triumpho nos moliri aliquid, & extra urbem esse cum justissima causa, & tamdiu lictores atque fasces laureatos retinebant dum triumphus duceretur. Sic testatur Cicero de se, quod, cum ex Cilicia redisset ingruente bello civili, diu fasces & lictores laureatos habuerit. Praemittebant etiam editum ut Senatus extra urbem conveniret, siquidem Imperator, qui ex bello rediret, nemini eorum, qui in urbe adessent, imperio & potestate cedebat, conveniebant autem vel ad eam Bellonae vel Apollinis, quam extra portam Garmentalem fuisse Peditanus refert in orationis in toga candida commentario. videatur Zamofcius l. 2. de Senatu Romano. Non possum hoc melius explicare quam verbis Livii lib. 23. Cum Imperatores M. Livius & C. Claudius ex bello redirent atque Praeneste venissent. Inde praemisso edicto, ut triduo post, frequens Senatus ad eam Bellonae adesset, omni multitudine obviam effusa ad urbem accessere. Non salutabant modo universi, sed contingere pro se quisque vitrices dexteris Consulium cupientes: alii gratulabantur, alii gratias agebant, quod eorum opera incolumis Respublica esset. In Senatu cum more omnium Imperatorum expositis rebus a se gestis postulassent, ut pro Republ. fortiter fideliterque administrata, & diis immortalibus haberetur honos, & ipsis triumphantibus urbem inire liceret: se vero ea quae postularent, decernere Patres merito deorum primum, dein secundum Deos Consulium responderunt, & supplicatione amborum nomine, & triumpho utriusque decreto. Dicit in-

H

hi-

hisce Livius rationes retulisse Imperatores ad ætærium, idem pluribus explicat Sigonius l. 2. de antiquo jure provinc. c. 11. porro meminit supplicationes esse decretas. Fuit autem supplicatio honor, qui unâ cum Imperatoris nomine Præfidi decernebatur Victori; nempe cum Senatus Deum templa aperiri, ac gratias Diis Imperatoris nomine agi jubebat. Quæ supplicationes eum initio vix in unum alterumve diem decerneretur, tamen postremis temporibus eò progressa res est, ut etiam in quinquaginta decretæ sint, videatur Sigonius l. 2. de antiquo jure Provincia- rum c. 7. de supplicationis petitione atque decreto videatur Brissonius l. 2. de Form. p. m. 207. & seqq. Triumpho jam decreto magnâ pompâ ingrediebatur urbem. (quam explicare hic non permittitur, cum satis prolixam tractationem requirat) in Capitolium ascendebat; ac sacrificio factò, convivium ibi celebrat; subque vesperam positus Imperii insignibus domum omninò se referebat, privatamque, exuto schemate Imperatorio; postea vitam egit. Cætera quæ huc spectant de triumpho Imperatorio repetantur ex capite primo hujus nostræ dissertationis. Unicum si addiderimus privilegium, his qui triumphum egerant Imperatores decretum, finem verborum faciam. Memorat Plinius l. 36. c. 15. In victis Imperatoribus non tantum aras esse decretas, ad publicè ædificandas domus, sed etiam illud concessum, ut domus eorum fores extra aperirentur, & janua in publicum rejiceretur, id est nõ introrsum trahendo, sed in viam publicam pellendo. Quod in Græciâ adeò frequens fuit, ut omnes omnium fores sic paderentur. teste Mureto var. lect. l. 1. c. 17. Cui & hoc ad jungo in foribus Ducum illustrium Romanorum, & eorû qui hostes prostrigassent spolia hostilia affigi solita, quæ nec emptori restringere licebat. Sueton. in l. 6. c. 38. & Livius lib. 10. Tibullus quoque quondam cecinit.

Et domus hostiles præferat exuvias.

Jam manum detrahimus de tabulâ SOLI DEO GLORIAM
cantantes IMMORTALEM.



Ad Praesantisimum Invenem

JOHANNEM BECKERUM Hamburgensem
DE IMPERATORE ROMANO Disputantem.

Romanus Imperator in cathedram tibi
Producitur BECKERE: non leve hoc decus
Nostrae cathedrae est: nec levi laudi tibi est
Hoc maximum orbis explicatum à te decus.
Quod si imperantum maxima illa laus cluit,
Virtuti & arti digna ponere pramiam
Hoc dante quod iadustriae praeium feres?

AUGUSTUS BÜCHNERUS, PP.
& Academiae Senior.

Expolunt alii sermonem, & singula verbis
Exornare docent justis varioque decore,
Innumeris numeris numerosa poemata pangunt
Plurima pars, confecta licet, pulchreque decorant;
Natura hi mores, penitusque subire recessus
Tentant, quodque DEVS mundi orbis temperet arte:
Stellarum positus, Solis caelique meatibus
Ex Virum illi magnò rentamine mentis.
At BECKERE Tibi, his cunctis post terga relictis,
Caesarem Majestatem diademate, sceptro,
Purpureisque togis, celsò de ponte cathedra
Praesentare placet, juxta qua auspiciis quondam
Ausonii populi (Veni quos error adegit,
Fictilibus Divis caeleste adscribere Numen.)
Finxerunt, oculis clarè proponere nostris.
Laudo tuum factum & moneo, BECKERE colende,
Quò pede cepisti, pergas. Nam sic, mihi crede,
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.

Gratul. fac.

PRÆSES.

Dum Tu laurigeri transcendis Culmina Pindi,
Musarum fautor, fautor amande mihi;
Applaudunt docti, divæ accentantque sorores,
Et cupiunt fausto ut progrediare pede.
Thespiadum decus hic erit hauri mortale sororum,
Concentant omnes. Fac rata vota DEUS!
Suo optimo Amico, Commensali & in Christo Filio, ex animo f.
M. ANDREAS Müller / Pomeranus
Eccl. Witteb. Diaconus.

Gracia (dum subnixâ stetit pede Gracia firmo,
Dumque potita fuit rerum, dum Gracia nondum
Ferrum Bellonæ furia; & sua rudera vidit)
Cosporis exercendi habuit certamina, ludos;

Ad

Ad quos ex tota Græca regione fluebant
 Unanimi concursu omnes, juvenesque senesque,
 Et ludos spectare illos, & prodere vires,
 Quas possent. Quare haud modò, erat labor omnibus unus
 Pugnando vicisse; sed & pro more, coronam
 Cervici impositam manibus sentire Brabeatæ.
 Hinc & Olympiæcæ prostabant munera palmæ,
 Hincque reportabant sua præmia Pythionica,
 Hinc victor Nemeæus, & hinc sua quisque ferebat
 Cui quosdam superare datum fuit, Isthmionica.
 Verùm ceu quondam pulcherrima tellus Achivùm,
 Corpus ad exercendum habuit certamina, ludos;
 Sic nobis etiam ingenii certamina habentur
 Musarum in castris, ubi Palladis aurea pubes
 Exercere solet vires, non corporis ausu
 (Ut Graji), verùm molimine mentis honesto.
 Inter quem cœtum quoque nunc vix cernitur esse
 Finis BECKERUS, qui sese ostendit in armis
 Aratis minimè, ast ejus defensa tuere,
 In verbis gravibus, quæis propugnare videtur
 Quæ de Te scripsit, Cæsar rer maxime mundi.
 Pergito sic, BECKERE, tuas defendere partes,
 Sic aditus semper pandetur Honoris ad ædes,
 Sic hinc Thespiades cingent tua tempora lauro,
 Et tandem vertex splendet diademate cosli.

*Ita Per-Eximium DN. Respondentem, contubernalem,
 conterraneum atque Amicum suum candidissimum
 plenè buccis acclamat*

GEORGIUS Green/Holsatus.

Roma fuit P^oim Fortes dedit atque probatos
 Illa viros, quorum nos meminisse juvat.
 Cui non Romulidas multos, magnosque Catones,
 Scipiadæ claros hinc prodiisse patet?
 Ut taceam reliquos, quorum jaçantur ubique
 Laudes, quas referunt fama librique satis.
 Horum igitur vitam, mores, insignia, facta
 Laus non extrema est, dicere, scire probè.
 Distæ sed hæc eadem magnorum gesta Quiritum
 Si quoque defendas, laus minor esse nequit.
 Ergo tibi, quoniam præstas mi BECKER, utrumque,
 Gratulor ex animo, commoda multa vovens.

*Ita Eximio atq; Præstantissimo Dn. Johanni Beckere, Af-
 fini & Populari suo maximopere dilecto gratulabundè
 ὀλοφύχως apprecatur:*

PETRUS RÖDINGIUS Hamburgenfis, S.S. Theo-
 log. & Philof. Studiosus.

✽(F)✽


ULB Halle
006 302 114

3



Vb 17







8078.

EXERCITIUM HISTORICUM

De

IMPERATORE

S.

*Duce exercitus Romani Summo
quod domi elucubratum*

Sub

PRÆSIDIO

VIRI

PRÆCLARISSIMI EXCELLENTISSIMI
DN. ÆGIDII STRAUCHII,

S.S. Theolog. Licent. & Subst. Histor. Prof. Publ.

Celeb. in Illustri ad Albim Academiã
publice examinandum
sistit

JOHANNES BECKER,

HAMBURG.

Ad diem Aug. In Auditorio Maj.

VVITTEBERGAE,

Literis JOHANNIS HAKEN, 1659,

1659
6
7-
19

828

